

PLATONIS
OPERA OMNIA.

RECENSUIT

PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS

INSTRUXIT

GODOFREDUS STALLBAUM.

VOL. I. SECT. II.

CONTINENS

PHAEDONEM.

EDITIO QUARTA

SUPERIORIBUS ALIQUANTO AUCTION ET EMENDATIOR.



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXVI.

in, Ausgabe von Wohlrab 1/4 V 1877
PLATONIS
PHAEDO.

RECENSUIT

PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS

INSTRUXIT

GODOFREDUS STALLBAUM.

EDITIO QUARTA

SUPERIORIBUS ALIQUANTO AUCTION ET EMENDATIOR,

QUAM CURAVIT

MARTINUS WOHLRAB,

IN SCHOLA DRESDENSI QUAE EST AD AEDEM ST. CRUCIS PRAECEPTOR.

C. a. 31. n. 2.



LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXVI.

PRAEFATIO.

Quarta haec Phaedonis editio tota fere Godofredi Stallbaumii est. Omnia enim, quae ad eam adornandam pertinerent, ipse providerat. Retractaverat prolegomena eorumque maximam partem de¹ integro scripserat; ex tertia huius dialogi editione huic duo tantum capita, secundum et octavum, et ea quidem correctam inseri voluerat. Confecta autem prolegomena esse ipse indicavit a. d. XVI. Cal. Nov. a. MDCCCLX., tribus igitur fere mensibus, antequam diem supremum obiit. Praeterea textum nonnullis locis mutavit, commentarios autem multis partibus auxit et emendavit.

Hanc editionem ut ego curarem, cum essem rogatus, ante omnia id faciendum putavi, ut quae a Stallbaumio peccata esse viderentur emendarem. Atque cum in laudandis scriptoribus eum saepe erravisse invenissem, eos conferre institui, qua in re omnes libros adeundi quod mihi facultas non erat, magnopere dolui. Deinde cum vidissem nonnulla pluribus locis dicta esse, ea semel et suo quidque loco ponenda curavi; quae uberius disputata erant et fusius, contraxi; paucissima delevi atque ea nimis trita aut aperte falsa. Prolegomenis addidi capituli sexti eam partem, quae est de dialogi habiti aetate, et caput

septimum totum; minus apte enim quae ibi narrata sunt commentariis visa sunt interposita fuisse. Quibus in rebus si quae minus e Stallbaumii consilio mutaverim, eorum quidem, qui hunc librum legent, rebus me consuluisse confido.

Paucissima sunt, quae ipse addidi, eaque uncis quadratis ([]) includenda curavi.

Scribebam DRESDAE III. Oct. a. MDCCCLXV.

M. Wohlrab.

PROLEGOMENA

AD

PHAEDONEM PLATONIS.

CAPUT I.

PRAEVIAM ADMONITIONES.

Phaedo Platonis quemadmodum propter argumenti gravitatem ac sermonis artem et elegantiam prope in omnium hominum doctorum manibus versatur, ita semper visus est praeter ceteros summi philosophi libros longe dignissimus esse, qui adolescentibus bonarum litterarum studiosis vel publice in scholis enarraretur vel privatim ad liberalioris studii exercitationem commendaretur. Sed exstiterunt nuper, qui Phaedonis similiumque librorum Platoniorum lectionem a iuvenilibus studiis fere procul habendam arbitrarentur, ad ineundam cum Platone familiaritatem satis esse putantes, si adolescentibus praeter Apologiam Socratis et Critonem uni maxime illi dialogi in manus traderentur, in quibus more Socratico de virtute et scientia cum ea coniuncta aliisque rebus similibus eo modo disseritur, ut non tam verum exquiratur, quam alieni errores vel opiniones callidae argumentationis artificio fraudis convincantur. Qua de re nos quidem libere fatemur longe sentire aliter. Censemus enim adolescentes aliquando a Socrate dialectico in illis libris adumbrato ad Platonem philosophum et a dialogis in arguendis vanis opinionibus more Socratico occupatis ad libros in illustrandis gravioribus quibusdam philosophiae locis versantes traducendos esse, quandoquidem alioquin facile futurum est, ut Socraticae quidem disserendi rationis aliquam notitiam accipiant, Platonem autem adeo non noscant, ut ipsum non tam pro celso et magnifico philosopho, quam pro acuto et contentioso aliquo disputatore habituri videantur.

Inter omnes autem Platonis dialogos vix ullum reperiri existimamus, qui ad Platonicam rationem

et elegantiam cognoscendam animosque iuvenes illius studio incendendos tantam vim habeat, quantum Phaedo. Nam primum quidem ubi spectamus operis materiam, certe vix quidquam reperiatur, quod animum humanum magis movere faciliusque capere queat, quam argumentum huius dialogi, in quo, dum imaginem sapientis in ipso mortis articulo constituti intuemur, simul etiam gravissimi uberisque sermones cum de aliis rebus maximis ad philosophiae doctrinam pertinentibus, tum imprimis de animorum immortalitate instituuntur. Quae quidem res etiam eo valet, ut philosophiae Platonicae, idearum potissimum doctrinae tamquam fundamento superstructae, elementa et quasi initia percipiamus. Id quod sane iis omnibus opus est, qui vel levem quandam sapientiae Platonicae notitiam quasi *παιδείας χάριν* animis suscipere voluerint.

Iam vero ubi animum attendimus ad rerum tractationem atque disserendi rationem in hoc opere regnantem, haec quoque ita est comparata, ut ad Platonem cognoscendum longe sit convenientissima. Nam disputatio quavis in rebus gravissimis et difficillimis expediendis versetur, tamen non est impedita, non arguta et spinosa, sicuti est in dialogis Socratico more scriptis, in quibus saepe argutiae argutiis refelluntur, sed potius facilis, perspicua et pellucida, denique plane ad verum reperiendum comparata.

Sed admonet haec ipsa argumentationis virtus etiam aliam operis dotem. Nam cum disputatio magnam partem versetur in rerum difficiliorum et reconditorum quaestionibus, tum eadem nihilominus elocutione atque dictione ea insignis est, quae cum maxima dignitate et gravitate summam perspicuitatem, simplicitatem, elegantiam coniunctam habeat, ut, quantum quidem per sermonis Attici consuetudinem licuit, nihil usquam obscure, nihil ambigue et tenebricose, nihil denique inflato tumore enuntiatum sit. Enimvero nativo quodam recti veri sensu ductus philosophus facile perspexit veritatem semper esse simplicem atque maximam orationis laudem in illa ipsa veritatis imitatione contineri.

Denique ars et compositio dialogi est tam admirabilis, ut ea nihil fere cogitari possit hoc in genere excellentius, quandoquidem Phaedo in iis est Platonis libris, qui ad artis leges sollertissime sunt elaborati. Legimus in scholis poetas Graecorum non aliam ob causam, opinor, quam ut una cum antiquitatis cognitione etiam sensus elegantiae ac venustatis excitetur et corroboretur, quippe cum nobis persuasum sit in illis unis maxime humanitatis ad singularem quandam perfectionem excultae exemplaria expressa esse. Quid vero? num qua antiquitas, num qua aetas recentior talem nobis extulit tragoe-

diam, quam exhibet Phaedo Platonis? Enimvero omnia in hoc libro tam sollerter ad fabularum tragicarum exemplum composita sunt, ut licet agatur de rebus ad philosophiam pertinentibus, tamen legentes non tam subtili rerum graviorum disputationi, quam grandi alicui dramati interesse videamur, cuius auditione et spectatione in varios subinde affectus gaudii et doloris, spei et sollicitudinis, commiserationis et admirationis inducimur, usque dum in ipso eius exitu quamvis tristitiae sensu graviter affecti, tamen beata quadam spe et tranquillitate recreamur et ad melioris vitae post hanc mortem futurae fiduciam erigimur. Tale fere opus quis est quin sponte largiatur non modo viris humanitatis disciplina excultis semper gratum acceptumque esse, verum etiam adolescentibus bonarum litterarum studiosis maxime esse commendabile?

Venimus igitur ad id, quod ut hoc loco declarem officii ratio sanequam postulat, quandoquidem aperendum tandem est, quid hac nova operis editione a superioribus multum sane diversa nobis agendum putaverimus. Id vero quale sit aut quorsum tendat, iam ex iis perspicuum erit, quae modo de iis exposuimus, quorum in manibus omnino Phaedonem versari vel putemus vel velimus. Propositum enim nobis fuit hoc, ut liber non modo critica ratione castigaretur, sed etiam ita illustraretur, ut conveniret desideriis eorum, qui eum vel aliis interpretari vel privato studio legere vel etiam adolescentibus studiorum suorum causa tradere et commendare vellent. Itaque primum quidem in commentariis Graecae orationi subiectis ea exposuimus, quae ad singulorum verborum interpretationem opus esse atque interpretationem ipsam confirmare posse viderentur, qua in re mediocritatem quandam adhibendam putavimus, ut nec nimia copia imprimisque rebus tritis et vulgaribus afferendis molesti essemus nec desultoria levitate adpersa hic et illic levi aliqua notula iustae interpretationis constantiam neglegeremus. Praeterea vero in Prolegomenis id egimus, ut universi libri tamquam corpus spectaretur ideoque disquireretur de eius materia atque forma deque omni doctrina, quae a scriptore in eo explicata et illustrata esset, quandoquidem nobis plane persuasum est nullum Platonis dialogum recte posse intellegi, nisi cum singularum eius partium interpretatione etiam totius disputationis accurata consideratio coniuncta fuerit. Itaque in Prolegomenis id dedimus operam, ut vel aditus ad universi sermonis intelligentiam aperiretur vel iis, qui in eius lectione occupati essent, ubique ostenderetur, quoniam vinculo singula cum universis continerentur, in quo ipso magnum sane intellegendi praesidium est positum.

CAPUT II.

SUMMA DIALOGI REFERTUR.

Phaedo, discipulus Socratis, qui postea exstitit scholae Eliacae auctor, quo tempore Phliunte, oppido Sicyoniae, hospes commoratus est, Echecrati Phliasio, homini, ut videtur, Pythagoricae philosophiae studiis dedito, eiusque amicis ac familiaribus de Socratis nuper Athenis vita defuncti ultimis dictis atque fatis narrans introducitur. Convenisse dicit plurimos Socratis familiares et amicos in custodiam carceris, in quo vinculis captus fuerit, cum aliis diebus, tum eo die, quo ei venenum hauriendum fuerit, multo mane. Audisse enim ipsos sacra navi e Delo insula reversa postero die Socrati moriendum fore. Itaque omnes ait sub ipsum diluculum ad custodiam convenisse. Cum igitur, inquit, ad carcerem accessissemus, ianitor, qui fores aperire solebat, nos aliquantisper foris commorari iussit, cum undecimviri capitales nunc ipsum Socratem vinculis liberarent eique denuntiarent moriendi necessitatem. Paulo post reversus nos intromisit. Inredientes autem in custodiam Socratem deprehendimus modo vinculis solutum atque Xanthippen, eius uxorem, cum infante iuxta ipsum consistentem. Quae ubi nos conspexit, ut solent mulierculae, multum laerimata est vehementerque eiulavit. Tum vero Socrates placido vultu Critonem intuens rogavit, ut aliquis eam domum abduceret; id quod fecerunt Critonis pedisequi. Nos omnes autem eo die mirifice affecti eramus, cum mixtus quidam tristitia atque gaudio sensus animos nostros occupatos teneret; modo enim tranquillitatem hilaritatemque Socratis admirabamur, ut oblivisceremur praesentis calamitatis, modo casus gravitate devicti instantem amici fortunam deplorabamus¹⁾.

Socrates vero erigens se in lectulo et crus fricans, quod vincula antea compressissent, quam mira est, inquit, illa coniunctio, quae inter voluptatem atque dolorem intercedit. Nam cum simul adesse non soleant, tamen alterutro cedente alterum alterius continuo locum occupat. Hoc si animadvertisset Aesopus, cum credo fabulam fuisse compositurum, quae illam doloris et voluptatis vicissitudinem illustraret. Tum vero Cebes, opportune, inquit, admones me carmina, quae in carcere pepigisti. Nam cum alii, tum nuper Evenus ex me quaesivit, quid tandem causae esset, quod tu, qui nunquam antea carmina fecisses, extremo vitae tempore illis componendis delisses operam. Quid igitur vis ut illi respondeam? Ego vero, inquit Socrates, hoc non eo consilio feci, ut laudum Eveni aemulus

1) P. 57—60 B.

exsisterem, sed ut animum meum religione quadam exsolverem. Nam cum superiore vitae tempore, tum ex quo in carcere hic versatus sum, saepe mihi apparuit somnium, quod me iuberet facere et tractare musicam. Iam cum per totam vitam philosophiam, quippe quae esset musica praestantissima, tractassem, nunc etiam carmina facere conatus sum, si forte somnium illud divinum hoc a me fieri vellet. Itaque composui hymnum in laudem Apollinis, cui hi dies festi sacri sunt, sed cum me imparum esse sentirem fabularum inventioni, Aesopi fabulas in versus redegi. Hoc igitur, mi Cebes, Eveno nuntiabis eumque meo nomine cohortaberis, ut me quam primum sequatur. Ab eo autem hodie; ita enim Atheniensibus visum est. Ea vero responsione offensus Simmias Thebanus, quale tandem istud est, inquit, quod Evenum facere iubes? Neque enim ille is mihi videtur, qui te lubens ad inferos secuturus sit. Cui Socrates, nonne Evenus, respondit, est philosophus? Illo autem hoc affirmante, igitur neque Evenus, inquit, mortem refugiet, neque quisquam alius, qui quidem philosophi nomine dignus videri velit. Quamquam hoc nolim ita a vobis intellegi, ac si illum iuberem sibi manum inferre; hoc enim verissime nefas iudicatur¹⁾.

Atqui, respondit Simmias, haccine inter se pugnare, quae tu dicis, appetendam quidem esse mortem, nec tamen cuiquam licere se ipsum interimere? Ego certe quamquam nuper in patria mea audivi Philolaum, nobilem Pythagoreum, eadem, quae tu dicis, dictitantem, tamen nunquam huius sententiae rationes plane potui cognoscere aut perspicere. Quare si tu illas explicare uberius et confirmare certius posse tibi videaris, age nobis noli invidere ea, quae dicenda habeas. His auditis Socrates se paratum ostendit ad exponendas rei rationes, quas in promptu haberet, quas tamen se non ipsum repperisse dixit, sed fando ab aliis accepisse. Mirum vero, inquit, non iniuria alicui videatur, quod antea dictum est, etiam iis hominibus, qui mortem tanquam bonum aliquod expetant, nefas esse sibimet ipsis hoc beneficium tribuere, sed exspectare eos debere, donec alius eodem ipsos afficiat. At enim vero habet illa sententia certe idoneas rationes. Nam homines in hoc corpore a deo immortalis quasi in carcere quodam inclusi sunt, ex quo iniussu summi imperatoris nemini aufugere licet; atque persuasi mihi penitus esse numen divinum, quod hominum curam gerat, eiusque numinis homines esse servos atque ministros. Quocirca nobis non licet nostro arbitrato ex hac vita discedere, sed exspectandum, donec ipse deus nos liberet atque hinc discedendi necessitatem immittat. Ad haec autem Cebes, ista quidem si vera sunt,

1) P. 60 B — 61 D.

inquit, consequitur, ut stultis animo aequo moriendum sit, sapientibus non item. Etenim stultum fuerit profecto ex eo loco discedere, ubi optimum dominum habeas, deum, qui salutis tuae prospiciat; neque enim meliorem etiam nactus sis alibi dominum. Cebetis sententiae accessit Simmias. Tum vero Socrates, agite igitur, o boni, inquit, quandoquidem mihi litem intenditis, causam meam apud vos ita dicam, ut vobis coner eius bonitatem probare certius, quam potui probare iudicibus, qui me capite condemnarunt. Persuasum autem mihi est me post mortem etiam maiorem consecuturum esse felicitatem. Nam licet non affirmaverim nisi cum quadam animi dubitatione me ad meliores homines esse venturum, tamen ad optimos deos me hinc discessurum eorumque adspectu et consuetudine tanto magis gavisurum, quo purior sinceriorque animus ad illos evolaverit, id quidem certum atque verum esse censeo¹⁾.

Quocirca sapientis est morte appropinquante bono esse animo; nam si mors est animi a corpore seiunctio, certe philosophia nil est aliud nisi praeparatio atque meditatio mortis, id quod homines vulgo ignorare videntur; ridiculum autem fuerit hominem, qui tota vita philosophatus sit adeoque mortem commentatus, in extremo vitae periculo angi atque metu cruciari. Habent autem mors atque philosophiae studium hoc sibi commune, quod et illa animum a corporis vinculis exsolvit et hoc mentem nostram a rerum sensibus subiectarum ludibriis ad aeternae veritatis virtutisque constantiam traducit. Etenim philosophus spernit corporis voluptates atque cultum curamque suam maxime convertit ad animum, quem a corporis communiione cupit quam maxime liberare, ut adeo magnae hominum turbae videatur ultro ad mortem tendere. Enimvero cum omnino corpus sapientiae studio multum officiat, tum ne sensus quidem ullam afferunt veritatis cognitionem. Attingit potius animus veritatem maxime tum, cum a corporis communiione maxime liber est, siquidem iustitia in se spectata, pulcritudo, virtus denique non oculis vel alio sensu, sed sola mente percipitur eaque pura ac sincera neque corporis sensibus contaminata aut perturbata. Itaque philosophi, sapientiae dum student, revera solutionem animi a corpore meditantur, quippe cum corpus innumerabilia prope afferat studii sapientiae impedimenta. Ex quo certe perspicuum fit puram ac sinceram veritatis cognitionem nobis post mortem demum, corpore plane ab animo disiuncto, posse obtingere; quamdiu autem vivamus, nos ita demum proxime ad illius scientiam accessuros esse, si animum quam maxime a corporis societate liberum reddiderimus. Atque hoc ipsum illud est, quod vocamus mori discere sive mor-

1) P. 61 D — 64 A.

tem meditari. Hoc autem veri germanique philosophi ita faciunt, quorum hoc munus et officium esse solet. Ex quo certe perspicuum fit plane ridiculum fore, si quis morte appropinquante indignetur; imo veri certe philosophi volentes ac lubentes hinc discedent, quippe sperantes sese iam id esse consecuturos, quod sibi per totam vitam studiosissime expetierint. — Quare si quem videtis mortem timere, hunc ne dubitetis habere potius φιλοσώματον quam φιλόσοφον. Cuiusmodi homines sicuti non possunt pervenire ad sinceram veritatis cognitionem, ita nec virtutem colunt veram suoque nomine dignam. Nam qui inter eos fortes habentur, ii cum mortem in magnis malis ducant, prae metu maiorum tantum malorum mortem subire audent, ut prae timiditate et ignavia fortes sint, id quod sane perquam absurdum est. Ac pariter etiam ii, qui inter eos videntur temperantes esse ac modesti, revera propter intemperantiam colunt temperantiam, quippe cum aliis voluptatibus abstineant, ut ne aliis iisque maioribus priventur. Talis autem virtus cum quasi mercatura quadam contineatur neque nitatur sapientia, quae una est reliquarum virtutum omnium tamquam magistra quaedam atque regina, revera nihil est aliud nisi adumbrata quaedam virtutis species admodum servilis et abiecta nihilque sani ac veri in se continens. Quippe vera virtus, temperantia, iustitia, fortitudo et ipsa sapientia, quae est ceterarum virtutum omnium dux atque princeps, si verum quaerimus, nihil est aliud quam animi quaedam a talibus rebus purgatio, sicuti mysteriorum conditores dudum prodiderunt. Itaque ego semper id egi, ut in verorum philosophorum numero haberer. Quod num recte secutus sim, mox sciemus, ubi illuc pervenerimus. Etenim certa me spes tenet futurum esse, ut apud inferos multo certiore pleniorque consequar veritatis cognitionem, cui me nostis per totam vitam studuisse, et dominos atque amicos etiam illic habeam optimos. Haec igitur sunt, quae mei defendendi causa apud vos, o boni, dicenda videbantur; quae si vobis probata fuerint, optime factum arbitrabor¹⁾.

Quae postquam Socrates disputavit, primum Cebes ei respondit: Cetera quidem, o Socrate, quae dixisti, plane mihi probantur et egregie videntur disputata esse. Sed quid animo futurum sit a corpore segregato et disiuncto, id quidem multis magnisque subiectum est dubitationibus. Vulgo enim metuunt, ne e corpore excedens animus tamquam halitus aut fumus dissipetur atque penitus evanescat. Itaque necessarium est, ut probetur argumentis eum etiam post mortem corporis ita manere superstitem, ut vi vitali et intellegentia polleat; eiusque rei, o Socrate, si quam tenes explicationem et demonstrationem, age

1) P. 64 B — 69 E.

illam nobiscum communica. Ego vero, inquit Socrates, faciam quod petitis; neque enim exiguum hoc, quod mihi superest, vitae tempus melius collocare possim, quam si de hoc gravissimo loco sapientiae quid mihi videatur vobis exponam¹⁾.

Et primum quidem videamus eam rationem, quae ultimae antiquitatis confirmatur testimonio. Dicuntur enim animi nostri hinc ad inferos et inde vicissim in humana corpora transgredi ac veluti in orbem ex inferis ad superos et a superis ad inferos migrare. Quae sententia si vera est, de animorum immortalitate dubitari non poterit. Confirmat autem illius sententiae veritatem hoc maxime, quod in universa rerum natura hanc videmus legem constanter dominari, ut contraria ex contrariis oriantur, veluti cum maius oritur ex minore, tardum ex veloci, firmum ex infirmo, calor ex frigore et vicissim. Eadem igitur necessitate inter se coniunctas esse mortem et vitam sponte consequitur, ita ut ex vivo fiat mortuus et vicissim ex mortuo vivus. Sed age, rem diligentius etiam consideremus. Itaque quidquid mutatur, id in alium statum transire manifestum est. Continentur autem omnis mutatio triplici condicione; nam primo res mutata ex aliquo statu, in quo antea fuerat, discedit, deinde eadem ad aliud quiddam transit, denique pervenit ad aliquem statum, in quem antea tendebat. Veluti si quis dormit, is ex vigilia in somnum transit. Inter somnum autem atque vigiliam interiectum est illud, quod vocamus obdormiscere. Unde intelligitur, quam sit verum quod diximus de triplici cuiusque mutationis condicione. Eadem ratio est si quis vicissim ex somno redeat ad vigiliam; nam priusquam ipsa vigilia incidit, illud locum habeat necesse est, quod expergisci vocamus. Cum vero haec lex per totam rerum naturam valeat, eum, qui in hanc vitam intret, necesse est illam permeare quasi condicionem, quam nasci dicere solemus, eum vero, qui mortuus sit, moriendo ad illum statum pervenisse. Quae cum ita sint, animum moriendo non extinguere, sed in alium statum transire, facile est ad intellegendum. Nam quominus existimemus naturam altera sui parte quasi claudicare, cum illud, quod moriendo respondeat quodque ex inferis redire vocamus, non eveniat, hoc maxime impedit, quod sublata rerum generatione reciproca paullatim tota rerum natura quasi rigesceret et consumeretur. Veluti si illud tantum eveniret, quod vocamus obdormiscere, neque locum haberet contrarium, quod expergiscimur, omnia ad extremum perpetuo premerentur somno. Eodem igitur modo de eo, quod moriendo est contrarium, iudicari convenit. Nam si omnia morerentur nec quidquam denuo in vitam rediret, ad extremum omnia forent emor-

1) P. 69 E — 70 C.

tua, nihil amplius viveret. Hoc igitur argumento mihi constare videtur animos hominum morte non absumi, sed manere eos aliam vitam, in qua bonis melius, malis peius futurum sit¹⁾.

Tum Cebes: Ego vero, o Socrate, sententiam tuam toto pectore amplector. Quam ut pro vera habeam, faciunt etiam ea, quae superiore tempore de eo disputavisti, quod totum illud, quod discere vocamus, nil aliud sit nisi reminisci. Hoc enim si verum est, animum iam necesse est, antequam in hanc vitam intraret, viguisse atque rerum notitias in humanum corpus secum attulisse. His auditis Socrates: Sed ne forte Simmias huic rationi diffidat, eadem etiam aliis argumentis comprobari potest. Quae qualia sint, nunc accipite. Quotidie enim experimur nos ex unius in alterius rei cogitationem deferri. Solent enim res oculis, auribus, aliis sensibus perceptae in animis nostris excitare cogitationem rerum ab illis plane diversarum. Ut si quis conspecta amici lyra vel veste ipsius amici recordatur, aut si imaginem eius intuens tacite secum iudicat illa quam prope ad eius similitudinem accedat vel quam longe ab ea absit. Neque vero ad ea solum, quae sensibus percipi possunt, referimus illa, quae videmus, audimus, sentimus, sed etiam ad species quasdam et formas solo animo comprehensas, quas in hac rerum natura nusquam exstare compertum habemus. Tenemus enim animo nostro speciem eius, quod per se ipsum est honestum et turpe, iustum et iniustum, magnum et parvum, simile et dissimile, ad eamque speciem referre solemus ea, quae sensibus nostris percipimus. Sed undenam animi nostri hanc absolutarum formarum sive idearum cognitionem hauserunt? Certe sensibus corporis non acceperunt; his enim non utimur nisi in rerum singularium perceptione et animadversione. Itaque relinquatur, ut animus rerum per se absolutarum notitias non in hac demum vita acceperit, sed antequam cum hoc corpore nasceretur. Ex quibus omnibus apparet eundem iam olim ante hanc vitam mortalem viguisse²⁾.

Finita hac disputatione Simmias, quid adhuc desideraret, aperte professus est. Nam hac quidem ratione censuit sibi utique id videri effici, ut animum fuisse, priusquam corpus nasceretur, statuere cogamur; sed illud nondum esse demonstratum, eum post mortem quoque fore supersitem. Quae quidem dubitatio etiam Cebetem permovit, ut dimidium tantum disputationis absolutum esse diceret, dimidium contenderet deesse. Ad eos igitur Socrates, quod nunc desideratis, o boni, inquit, id iamiam habetis, si quidem superiora illa, quae concessistis, cum his dictis coniungenda sunt. Nam si verum est, quod

1) P. 70 C — 72 D.

2) P. 72 D — 77 A.

ostendimus, hanc per totam rerum naturam valere legem, ut nihil intereat, et si recte affirmavimus animum rerum per se absolutarum notitias non corporis ope sibi acquisivisse, sed accepisse aliunde, dubitari certe non poterit animum omnino esse immortalem¹⁾.

Sed quoniam metus ille, ne animus ex corpore egrediens tamquam vento dissipetur, facile animos vestros denuo occupaverit, age, eum iam ita tollamus, ut animorum immortalitatem etiam pluribus argumentis probare studeamus. Et primum quidem videamus, quid sit illud dissipari, quod vos dicitis metuere ne animo accidat. Est autem illud nil aliud nisi dissolvi in partes suas, ita ut haec a se invicem discedant et illud, quod partibus istis continebatur, pereat et intereat. Itaque dissipari nil poterit, nisi quod ex partibus sit compositum. Quocirca videamus, num cadere dissolutio possit in animi naturam. Discerni autem omnino possunt duo rerum genera, alterum compositum, simplex alterum. Illud continua fertur agitatione neque unquam manet in statu eodem atque corporis sensibus subiectum est. Alterum, quod nullis partibus constat ideoque a quavis mutatione liberum est et immune, non potest corpore unquam contrectari, sed sola mente comprehenditur. Quemadmodum vero dubium non est, corpus quin habendum sit in numero rerum compositarum, ita animum ad naturas simplices referendum esse evidentibus doceri potest argumentis. Hic enim primum quidem non est adspectabilis, porro in veritate investiganda et contemplanda cum sensuum ope utitur, adeo non pervenit ad eius cognitionem, ut maxime perturbetur et quasi vertigine corripiatur; ubi autem se a corpore quasi segregatus in se ipsum collegit, tum vero attingit sempiternas illas rerum species et formas, quae solae habent veritatis cognitionem. Praeterea animum habemus imperantem, corporis servitio utimur, ut hinc quoque intellegi possit illum rerum simplicium neque mutationi subiectarum generi esse similem atque cognatum. Iam si verum est, quod diximus, sequitur, ut animus nunquam dissolvatur et intereat, sed etiam ex corpore egressus duret et salvus permaneat²⁾.

Abibit autem, si quidem se castum purumque a corporis contagione servaverit, in coelestes purasque regiones, quo et ego mox perveniam, ibique errore, ignorantia, cupiditatibus, vitiis liberatus beatum et immortale deget aevum. Sin autem, dum hanc vitam ageret, non studuit se a corporis societate liberare eique ita indulisit, ut eius contagione pollueretur et labem contraheret, ex superioribus regionibus per corpoream

1) P. 77 A — D.

2) P. 77 D — 80 E.

vim humi depressus in tenebris ac squalore volutatur adeoque denuo alligatur animantium corporibus. Nec vero si quis civilem tantum virtutem usu et consuetudine partam coluerit, illuc continuo perveniet. Nimirum soli philosophi ad genus deorum pervenient. Atque haec cum ita sint, philosophi hoc est officium, ut spreto corporis voluptatibus animum dirigat et convertat ad purae sinceraeque bonitatis, pulcritudinis et veritatis contemplationem; nam ita demum ei continget, ut ad deum immortalem perveniat sempiternaque fruatur felicitate et beatitate¹⁾.

Haec vero cum Socrates dixisset, aliquamdiu silentium fuit videbaturque ipse secum reputare et meditari ea, quae modo disseruisset. Tandem Cebes et Simmias summissa voce inter se colloqui coeperunt. Quod animadvertens Socrates, quid vobis, inquit, de mea videtur disputatione? numquid in ea ad animi persuasionem desideratis? Agite igitur, si quid habetis dubitationis, nolite illud celare, quo possimus communiter persequi institutam disputationis viam, si quidem vobis placuerit. Tum Simmias, dicam, inquit, quod res est. Etenim iam dudum uterque nostrum alterum hortatur et instigat, ut te interroget; veremur autem, ne tibi molesti simus propter imminentem calamitatem. Ille vero his auditis leniter subridens, papae, inquit, o Simmia, aegre profecto aliis possim persuadere me mortem non in malis ducere, cum vos adeo vereamini, ne mihi nunc de his rebus disserere molestum sit. Itaque eos amice cohortatus est, ut si quae ipsis dubia viderentur, ea ne dubitarent exponere²⁾.

His dictis permotus Simmias, fatebor equidem, inquit, quae adhuc disputasti, ea mihi nondum omnem scrupulum ex animo exemisse. Neque enim absurdum videtur, quod permulti homines arbitrantur, animum nil esse nisi harmoniam quandam ex iusto singularum corporis partium temperamento oriundam. Quemadmodum igitur concentus fidium dissolutis lyrae partibus interit, ita vide ne fracto dissolatoque corpore etiam omnis animi vis et natura dispereat. Tum Socrates vultu ad risum composito et, ut solebat, intenta oculorum acie circumspiciens, non male, inquit, Simmias meam orationem videtur impugnasse. Sed huic priusquam respondeamus, etiam Cebetis audienda sententia est. Et Cebes quidem se in iisdem fere haerere dixit, de quibus Simmias dubitaret. Quae tu, inquit, modo disputasti, iis licet efficiatur, ut animus diuturnitate corpus superet, tamen nondum est demonstratum eundem ab interitu omnino esse liberum. Fieri enim potest, ut animus, cum in multa deinceps corpora migret iisque superstes sit, tamen et ipse temporis

1) P. 80 E — 81 B.

2) P. 84 B — 85 D.

diuturnitate tandem fatiscat et conteratur. Quis igitur nobis praestet hoc, in quo nunc degimus, corpus non esse ultimum? ¹⁾

His vero auditis omnes, qui aderamus, vehementer sumus perturbati. Nam cum antea Socratis disputatio nobis plane satisfacisset mirificeque placuisset, tum nunc Simmiae et Cebetis dubitatio eam habuit vim, ut consilii prorsus inopes haerere-mus. Socrates vero tantum absuit, ut de causa sua videretur esse sollicitus, ut nunquam magis admiratus sim viri tranquillitatem atque constantiam. Nam non solum benevole amanterque excepit illas Cebetis et Simmiae dubitationes, sed etiam nos cum animadvertisset vehementi dolore percussos esse, ad pristinam immortalitatis spem et fiduciam erexit. Monuit autem ante omnia, ut nobis caveremus, ne, si quando in veri investigatione deciperemur, animo abiecto rationis et philosophiae osores evaderemus. Quemadmodum enim hominum osores, inquit, fieri solent ii, qui, cum de quolibet optima quaeque sperassent, a pluribus dein decepti sunt et in fraudem inducti, ita etiam qui sententias eas, quas maxime probaverant, postmodo falsas esse cognoverunt, saepe numero in eam inducuntur opinionem, ut de veritate exquirenda et invenienda omnino desperandum existiment adeoque rationis et sapientiae osores (*μισόλογοι*) existant. Itaque nos quoque, o boni, nobis caveamus ab isto errore neve nos unquam patiamur a philosophiae studio deterreri ²⁾.

Sed redeamus ad sermonem superiorem. Putabat igitur Simmias animum contineri harmonia, quae singulis corporis partibus bene temperatis efficeretur. Quam rationem mihi videor vel una interrogatiuncula posse confutare. Quid enim? nonne in superiore disputatione concessum est animum viguisse, antequam in corpus veniret? Hoc igitur si vere diximus, eum plurimum ab harmonia differre nemo est quin videat. Quippe harmonia oritur tum demum, cum lyrae partes compositae et coagmentatae sunt, animum autem affirmamus corpore prius fuisse ³⁾. Praeterea etiam, ubi harmoniae vim naturamque accuratius consideraverimus et cum animo contenderimus, magna inter utrumque discrepantia obtinere videbitur. Nam harmonia varios gradus et temperationes habet, animus autem vi sua constans est et immutabilis. Animus porro virtutibus et vitiis, quae quasi concentu quodam et discrepantia continentur, insignis est, cum harmonia non possit alias harmonias et discrepantias sonorum in se simul continere. Praeterea animus cum propter naturae suae constantiam plus minusve temperari non possit,

1) P. 85 D — 88 E.

2) P. 88 C — 91 C.

3) P. 91 C — 92 E.

consequens foret, ut, si ille esset harmonia, ipsa harmonia nullam sonorum varietatem caperet ac semper sonaret aequaliter. Hoc vero si ita statuatur, qui animum harmoniam esse dicunt, si affirmare cogentur id, quod nemo sibi facile persuadeat, animos humanos turpitudinis et pravitatis omnino esse expertes omniumque animantium animos eiusdem virtutis esse participes. Denique animum novimus corpori imperare neque raro eius perturbationibus et cupiditatibus adversari. Quod quidem, si ille ipsius corporis esset quaedam intentio et remissio, fieri nullo modo posset. Sed de harmonia Simmiae satis dictum; consideremus nunc etiam Cebetis rationem ¹⁾.

Putas autem, o Cebes, nisi fallor, animus etiamsi in multis antea fuerit corporibus, tamen nihil impedire, quominus temporis diuturnitate paulatim consumatur et aliquando intereat. Ac profecto magnam atque gravem dubitationem in medium attulisti. Quippe explicandus est locus ille de rerum natura, generatione et corruptione. In quem cum et ipse admodum iuvenis essem delatus, narrabo vobis quid mihi tum acciderit. Cum enim doctrinam physicam putarem esse longe praestantissimam, quippe quae doceret, quibus causis res omnes vel orirentur vel interirent, plurimum studii in ea collocare coepi. Sed quamvis omnium philosophorum opiniones investigarem et perquirerem, tamen de ortu et interitu rerum nihil novi me ab iis discere mox intellexi. Postea incidi forte in librum Anaxagorae. Qui cum omnia a mente divina ordinari et administrari doceret, dicere non possum, quanta spes veri inveniendi animum meum occupaverit. Sed mirum dictu est, quantopere etiam illa me fefellerit exspectatio. Etenim ille quoque, ut singularum rerum aperiret causas et rationes, aerem, aquam, alia huius generis, tamquam machinas quasdam adhibebat, mentem divinam praetermittebat. Haec cum mihi accidissent, physicis relictis, aliam viam ingrediendam esse statui. Itaque mihi plane persuasi esse aliquid, quod per se esset magnum, pulcrum, bonum et cuius vi efficeretur, ut quae magna, pulchra, bona vocare solemus, hanc ipsam virtutem adipiscerentur. Putavi igitur res pulcras non colore, sed pulchritudine pulcras fieri similiterque magnas magnitudine, parvas parvitate, honestas honestate. Quae cum firmiter tenerem, coepi etiam intellegere nihil esse in rerum natura constans et immutabile praeter illud, quod per se esset verum, bonum, pulcrum, hoc est praeter ideas rerum sola mente comprehendendas et quasi intuendas. Haec igitur sunt, quae in harum rerum quaestione etiam nunc tenenda esse mihi videntur ²⁾.

1) P. 92 E — 95 B.

2) P. 95 B — 100 A.

Iam vero haec omnia cum Socrati essent concessa, denique ad aliam rationem explicandam aggressus est, qua animi immortalitatem probaret. Docuit enim animum ideo esse sempiternum omnisque interitus expertem, quia τὸ εἶδος ipsius, hoc est ipsa eius vis et natura in se spectata ideam vitae in se inclusam comprehenderet¹⁾. Conclisit autem argumentationem fere hunc in modum. Ideae, inquit, contrariae, h. e. mutuam contrarietatem habentes (notiones directe inter se oppositae), sive per se seorsum constant (ἐν φύσει) sive in nobis (ἐν ἡμῖν) insint et cum rebus adspectabilibus tanquam concretae videantur, sese semper mutuo inter ipsas excludunt ideoque contrarium nunquam sibi solet contrarium aut esse aut fieri. Quamobrem non solum ipsa magnitudo nunquam vult parva fieri, verum etiam haec, quae in nobis est, magnitudo nunquam suscipit parvitatem aut sese ab ea vinci ac superari patitur; imo de duobus alterutrum accidat necesse est, ut aut fugiat et decedat adventante contrario sive parvitate, aut, cum hoc ipsum invaserit, protenus pereat parvitate suscepta, licet ipsa aliud esse nolit quam quod antea fuerat²⁾. Sed cum haec sit idearum inter se oppositarum et contrariarum ratio, ut alterae alterarum vim naturamque non ferant aut suscipiant; tum eandem plane legem etiam illa sequuntur, quae licet non sint inter se contraria (directe opposita), tamen adiunctum sibi habeant atque rebus afferant quod alii alicui contrarium sit (i. e. generi alicui subiecta sint, cuius notio habet mutuam contrarietatem). Nam nec haec recipiunt speciem illam, quae ei formae (ideae), quam in se conclusam tenent atque rebus impertiunt, contraria sit, sed hac adveniente aut pereunt protenus aut abeunt ac recedunt. Veluti ternio in se contact et rebus affert imparilitatem paritati natura sua contrariam ideoque nec ipse fert aut in se suscipit paritatem, et quae sunt alia id genus³⁾. Atque hinc quid de animi immortalitate existimandum sit, facile iam existimari licet. Habet enim animus hoc, ut ad quodcumque accedat, semper ad illud vitam afferat adeoque vitae ideam participet et in se natura sua inclusam teneat (quod dialectici in meris mentis notionibus rimandis occupati sic enuntiant, ut animum dicant sub vitam vel vim vitalem tanquam genus altius esse subiectum). Iam vero vitae mors est contraria; animus vero, quemadmodum ex superioribus apparet, nunquam contrarium eius, quod ipse habet et rebus adducit, aut subibit aut suscipit, hoc est mortem utpote vitae contrariam. Quod vero mortem non fert aut suscipit, id mortis expertus est. Quidquid

1) P. 100 B — 102 A.

2) P. 102 A — 103 A.

3) P. 103 C — 105 B.

autem mortis expertus est, id est ἀθάνατος vel immortale¹⁾. Immortale autem, si quidquam aliud, natura sua omnino est ἀνώλεθρον, interitus expertus, ut fieri nullo modo possit, ut aliquando morte absunatur. Nam nihil certe fuerit usquam, quod nullam ferat dissolutionem, si immortale ac sempiternum dissolutionem admittat. Deus quidem certe atque idea vitae, quam animus in se comprehensam tenet, nunquam interibit, sicuti inter homines et magis etiam inter deos immortales constat. Si igitur quidquid est immortale, idem dissolutionis expertus et interitu liberum habetur, certe etiam animus, quem apparuit esse immortalem, omnis interitus expertus et immunis iudicandus erit. Itaque morte appropinquante mortalis quidem hominis pars interibit, immortalis pars incolumis semper et interitu liber atque immunis permanebit²⁾.

Haec igitur Socrates de argumento immortalitatis ex idearum rationibus repetito. Finita vero gravissima hac oratione Cebes, mihi vero, inquit, plane persuasisti animum esse interitus expertem atque revera futurum esse apud inferos. Sed si vos, o boni, habetis quod contra Socratis disputationem moncatis, nolite illud reticere. Neque enim tempus magis opportunum, quo de his rebus vel dicere vel audire aliquid cupialis, unquam redierit. Tum vero Simmias, ego vero, inquit, non habeo quod iis, quae disputata sunt, iam possim opponere. Verumtamen nescio quid mihi in animo residet scrupuli et dubitationis, sive quod rei, quae agitur, magnitudo me perturbat, sive quod humanarum virium imbecillitas videtur prohibere, quominus ad certam harum rerum cognitionem perveniamus. Recte tu quidem, inquit Socrates. Nam et de hoc dubitandum est, et de sumtionibus et principiis, unde mea disputatio profecta est, diligentius quaerendum. Quod ubi feceritis, pervenietis, opinor, ad tantam spem immortalitatis, quanta maxima homini contingere possit³⁾.

Animus igitur cum immortalis sit, operae pretium est, o amici, ut quisque in hac vita studeat eum aptum reddere immortalitati. Nam post mortem sua quemque manet sors, laeta illa aut tristis futura, prout quis animi curam in hac vita gesserit. Ferunt enim a daemone quemque suo in eum deduci locum, ubi de mortuis habeatur iudicium indeque audita iudicium sententia perducit eo, ubi ipsi vel male vel bene futurum sit. Quo ex loco quemque tandem alio duce certis quibusdam temporum periodis exactis rursus ad superiores reverti. Vias autem ad Orcum ducentes varias esse ac multiplices; varios etiam animorum mo-

1) P. 105 B — E.

2) P. 106 A — E.

3) P. 107 A — B.

tus, quibus affecti fatale iter ingrediantur. Atque his quidem dictis Socrates addit descriptionem terrae. Discernuntur enim tres terrae regiones, ex quibus mediam eamque vere mediocrem homines incolunt, superiorem omnibus beatitatis copiis largissime refertam animi piorum tenent, inferiorem perquam illam tristem et horridam impiorum manes lustrationum ac poenarum causa inhabitare coguntur. Denique suscipitur disputatio de varia fortuna, quam animi pro suis quique studiis ac virtutibus post mortem subituri sint. Nam qui mediocriter vixerunt, ii postquam ad paludem Acherusiam sese expiaverunt, tandem liberati mercedem recte factorum pro suis quisque meritis accipiunt. Sed ii, qui vixerunt scelerate et flagitiose, si prorsus videntur insanabiles esse, in Tartarum coniecti aeternis cruciantur suppliciis, quorum nullus unquam finis est, sin autem sanari queunt, coguntur quidem ipsi quoque abire in Tartarum, sed anno exacto vel in Cocytum vel in Pyriphlegethontem eiiciuntur veniuntque inde tandem item ad paludem Acherusiam, ubi denique de fortuna ipsorum decernitur. Contra qui insigniter pie sancteque vixerunt, ab istis in terra locis liberantur ac sursum in purum domicilium perveniunt. Inter eos vero singuli fruuntur felicitate ii, qui sese philosophia satis purgaverunt¹⁾.

Qua narratione absoluta hoc fere modo perrexit dicere. Haec igitur cum ita sint, o amici, hoc maxime agere omnes decet, ut virtutis ac sapientiae in hac vita participes evadamus. Propositum est enim magnum certaminis praemium magnaque spes. Quamquam autem mortuorum condicionem eam fore, quam descripsi, haud certo affirmaverim, tamen hoc maxima asseveratione contendo futuram ipsam esse illi similem, et ita quemque fore beatissimum, ut se maxime a vitiorum labe purum castumque servaverit. Et vos quidem suo quisque tempore illuc discedetis; mihi vero nunc abeundum est. Quocirca me iam ad lavacrum convertam, ne mortuus aliis negotia facescam²⁾.

Tum Crito, nobis vero, inquit, o Socrate, quid mandas, et quomodo vis ut te sepeliamus? Quomodocunque, respondit, vobis libuerit, si modo me capere potueritis. Simul autem placido hilarique vultu nos intuens, videor, inquit, Critoni non posse persuadere me non esse eundem, quem brevi mortuum videbitis. Nam animus meus ubi discesserit ex hoc corpore, non amplius Socratem habebitis, sed eius corpus emortuum. Igitur bono animo sis, mi Crito, neve dolcas, cum videris corpus meum cremari vel humari; neque enim Socrates ipse peribit. Corpus autem meum sepelies ita, ut tibi placuerit. His

1) P. 107 B — 113 C.

2) P. 114 D — 115 A.

dictis abiit, ut lavacro uteretur. Nos autem interea modo de iis, quae disseruisset, inter nos colloquebamur, modo calamitatem nostram deplorabamus, haud secus ac si patre orbaremur. Peracto lavacro filii cum mulieribus domesticis ad eum adducuntur. Quibus cum ultima mandata dedisset, ad nos revertit. Tum minister undecimvirorum ingreditur, qui ad eum accedens, invitus, inquit, meo nunc fungor munere, quamquam te eum esse cognovi, qui mihi non maledicturus sis, quod saepe facere solent ii, quibus mortem annuntio. Nam ex quo in carcere versatus es, semper te cognovi esse virum bonum et humanum. Quare vale et forti animo perfer instantem necessitatem. Et tu quoque vale, respondit Socrates, praedicans hominis humanitatem et misericordiam. Deinde autem poculum sibi afferri iussit. Tum Crito: Nondum sol occidit, o Socrate; en lucem in montium verticibus adhuc radiantem! Non est quod tantopere festines et tuum a nobis discessum acceleres. At vero Socrates, equidem, inquit, longiore mora nihil lucraturus essem nisi hoc, ut mihi ipsi viderer inconstans esse adeoque ridiculus. Itaque mihi morem geras, quaeso, neque aliter facias. Quocirca Crito accessi iussit carceris ministrum, qui poculum afferret. Quem quidem hominem intuens Socrates, age, inquit, o bone, quid facere me iam oportet? tu enim nosti. Cum hauseris, inquit ille, obambulabis, dum genua gravari sentias, tum vero in lecto recumbes. His dictis ei poculum porrexit. Quod quidem Socrates ita accepit, nihil ut timeret aut vultum mutaret. Quid vero? inquit, licetne diis immortalibus de hoc poculo offerre libationem? Noli hoc facere, minister respondit; neque enim plus cicutae paramus, quam quantum satis esse videtur. Tum ille, at preces tamen, respondit, diis immortalibus facere ad hoc poculum licet, ut haec migratio mihi bene feliciterque eveniat. Itaque hoc a diis immortalibus precor ut mihi contingat. His dictis poculum hilari et tranquillo animo exhausit. Nos vero eum videntes bibentem, cum adhuc vix cohibuissemus lacrimas, tum vero non amplius potuimus nobis a lacrimis temperare. Fuerunt etiam qui magna voce eiularent et pectora tunderent prae maerore. Socrates autem, quid agitis, inquit, o boni? nam hanc ipsam ob causam antea mulieres amandavi; audivi enim bonis omnibus moriendum esse. Atque nos his auditis erubuimus et lacrimas repressimus. Ille vero cum paullisper obambulasset, crura sibi gravari sentiens, supinus in lectulo recubuit. Morti autem proximus, o Crito, inquit, Aesculapio debemus gallum; hunc igitur deo reddite. Quod cum Crito se facturum esse polliceretur eumque rogaret, num quid aliud vellet, ille leniter placideque animam expiravit. Hic fuit vitae exitus, o Echeocrates, quem habuit amicus noster, quo meliorem,

prudentiorem atque iustiorum virum nec nos cognovimus nec unquam visuri sunt posteri¹⁾).

CAPUT III.

DISPUTATUR DE SUMMA OPERIS SENTENTIA EIUSQUE
ULTIMIS CONSILIIIS.

Fuit communis fere hominum doctorum de Phaedone sententia semper haec, ut in eo immortalitatem animorum argumentis ex ipsa animi natura repetitis confirmari et ad interiorum animi persuasionem explicari existimarent. Quae sententia non destituitur antiquitatis testimoniis, quandoquidem qui olim hunc dialogum aut secundariis ornarunt inscriptionibus aut ab argumenti summa laudaverunt, ii ipsum vel *περὶ ψυχῆς* vel *περὶ ψυχῆς καὶ ἀθανασίας* vel etiam *περὶ τῆς ψυχῆς ἀθανασίας* agere iudicaverunt, id quod docte demonstravit Io. Frid. Fischerus²⁾. Nam quod nonnulli eum simpliciter *περὶ ψυχῆς* inscripserunt, quam inscriptionem secutus est etiam Cicero³⁾, fecisse hoc illi existimandi sunt non alia de causa, quam quia argumenta immortalitatis animadvertissent in hoc libro ab ipso animo esse repetita.

Sed nostris temporibus aliquantum ab ea de Phaedonis consilio sententia discedi coeptum est. Id quod primum evenisse constat, ex quo praestantissimus Platonis interpres Germanicus, Fridericus Schleiermacherus⁴⁾, cum omnino de Platoniorum librorum indole, argumento, nexu et coniunctione, tum imprimis etiam de Phaedone subtilius disquisivit. Etenim hic quidem persuasit sibi Platonem in Phaedone exhibuisse tandem philosophi speciem illam dudum in Sophista et Politico promissam, quamquam imago sapientis in hoc opere expressa multum ab illa diversa exstiterit, quae olim ei illos dialogos commentanti ab oculis versata fuerit⁵⁾. Itaque Platoni in Phaedone id propositum fuisse, ut descripta Socratis morientis specie et imagine intellexeretur vitam philosophorum, utpote totam rerum divinarum (idearum) scientiae et cognitioni consecratam, revera nihil esse aliud, nisi perpetuam quandam

1) Pag. 115 B — 118.

2) Plat. Euthyphro, Apol. Socr., Crito, Phaedo Graece. ed. III. Lips. 1783. p. 229 sq.

3) Tusc. I, 11, 24: *evolve diligenter Platonis eum librum, qui est de animo.*

4) Platons Werke. Vol. II. Tom. III. p. 3 sq.

5) [Cf. Stallbaumii Prolegom. ad Soph. p. 46—55, ad Symp. p. LX—LXI.

mortis commentationem adeoque ipsam philosophiam uno maxime studio atque desiderio animi ex corporis vinculis liberandi contineri, quo ipso demum fieret, ut animus integra et plena veritatis intellegendae facultate potiretur. Cui quidem operis summae reliqua omnia ita censet attemperata esse Schleiermacherus, ut ne disputatio quidem de animorum aeternitate instituta aliorum trahenda videatur, quandoquidem sine immortalitate nec facultas aeternae veritatis intellegendae ullo pacto cogitari queat.

Hoc Schleiermachi iudicium, quo philosophum mortem usque commentantem Phaedonis primum argumentum esse voluit, non omni ex parte convenit cum iis, quae de ea re in Phaedone sunt exposita. Plato enim Socratem induxit non alium, quam qui et ipse sibi de animorum immortalitate persuasum habeat et aliis virtutis et sapientiae causa persuasum esse cupiat. Sed Schleiermachi si valeat ratio, propemodum omnia, quae ad fidem immortalitatis probandam pertinent, omnino omittenda fuerint, utpote supervacanea neque ad rem primariam necessaria. Enimvero prudenti catoque libri auctori isto pacto satius videri debuit illis omissis in iis acquiescere, quae ad id ipsum, quod fuit propositum, illustrandum valerent, hoc est describere talis sapientis habitum, sensum et affectum. Nunc vero alia omnia legimus, quae certe ne ita quidem possunt apte exposita dici, ut scriptorem dicamus longioribus usum esse digressionibus, quae sunt utique perquam importunae. Iam vero ad haec accedit etiam aliud quid, quod simili dubitationi ansam praebet. Etenim si sapiens mortem meditans depingitur, quorsum tandem pertinere censebimus monita illa et praecepta de colendae virtutis necessitate a Socrate identidem sermonibus suis intexta? Quis, quaeso, sibi persuadebit Platonem sententiam suam eo modo fuisse declaraturum, qui iusto argumentationis ordine et progressu prope totus esset destitutus? Nam vide mihi, num qua haec inter ipsa bene conveniant: „Sapientis munus et officium est mortem meditari ac divinae veritatis cognitioni studere. Ac suppetit sane ei talis cognitionis adipiscendae facultas, cum animi sint immortales. Ergo virtuti et sapientiae in hac vita operam dare debemus; nam post mortem sua quemque manet sors, laeta illa aut tristis futura, prouti quisque vitam hanc terrestrem transegerit.“ Nimirum haec quidem quonam vinculo denique inter se contineantur vix quisquam indicaverit. Quam ob rem ista de virtute colenda praecepta non ad mortis meditationem pertinere possunt, sed ad spem et confisionem declarandam, qua vitae olim post mortem futurae beatitas expectanda sit. Denique vero nec fabulosa descriptio status animorum post mortem futuri ullo modo convenit cum Schleiermachi de ultimo Phaedonis consilio sententia. Nam quorsum

tandem isto pacto opus fuerit fingere fabulam, qua vel mortuorum iudicium describitur vel bonis aliquando bene, malis male futurum esse docetur?

Schleiermacherus hanc sententiam, qua in Phaedone philosophi speciem mortem perpetuo commentantis et mortalitatis vinculis exsolvi gestientis depingi arbitratus est, etiam certius communire conatus est addita acuta alius cuiusdam rei ab aliis neglectae admonitione. Quippe imaginem illam philosophi, de qua modo diximus, animadvertit vix dimidiam in Phaedone expressam esse, ut alteram eius partem in alio quoquam opere Platonis quaerendam esse consentaneum sit. Id quod hac argumentatione evincere conatus est. Duplicem enim ait intellegi posse viam et rationem, qua philosophus in obeundo officio suo versari soleat, si quidem aut illud agat, ut immortalia ac divina in ideis perspicua ad vitam humanam traducantur, aut omne studium eo conferat, ut quae sunt divina atque coelestia, ea a mortalis vitae communione et concretione liberentur. Iam vero Phaedonem intuentibus perspicuum fore arbitratur, in eo quidem philosophum non alium deformari, quam qui animum a mortalitatis communione liberum praestare studeat. Ex quo consequens esse vult, ut Phaedo arctius cohaereat cum Symposio, quippe in quo Socrates ut conviva hilaris ac festivus divini amatoris partes agat, qui vitae mortalium omnem divinae sapientiae vim quam cumulatissime impertire gestiat. Inde vero continuo colligit Phaedoni tam arctam cum Symposio intercedere coniunctionem, ut uterque liber omnino pro uno opere habendus sit, quandoquidem utrobique id agatur, ut plena perfectaue sapientis imagine depicta doceatur, quam magnum celsumque sit veri germanique philosophi munus. Indidem autem intellegi arbitratur, quid denique de supremo Phaedonis consilio existimari oporteat, quandoquidem omnibus apertum esse debeat in hoc opere non tam id spectari, ut spes immortalitatis animorum confirmetur, quam illud potius agi, ut imago philosophi mortem usque meditantis et divinae veritatis cognitionem expetentis depingatur eaque ratione summum omnis philosophiae culmen ac fastigium designetur.

Sed quamquam concedendum est Symposium et Phaedonem argumenti quadam cognatione contineri, propterea quod in utroque sermone studium diviniorem rerum scientiae, quo veri philosophi animus incensus sit, depingatur, tamen multum falli videtur Schleiermacherus, qui imaginem philosophi in Phaedone adumbratam quasi dimidium eius picturae exhibere putavit, quae in Symposio sit proposita. Immo utraque pictura per se seorsum spectanda est, cum quaeque eius libri consiliis convenienter sit elaborata, cuius ipsa partem conficit. Nam in Sym-

posio quidem proposito Socratis tamquam divini amatoris exemplo ostenditur unum demum philosophiae studium animos ex rerum humanarum humilitate posse ad rerum divinarum admirationem et cognitionem evehere atque vitam mortalem divinae sapientiae bonis ornare. In Phaedone autem eiusdem Socratis ut philosophi morientis imagine proposita docetur philosophiam ipsam vi et natura sua immortalitatis spem atque fidem excitare et confirmare, quippe quae usque sapientis animum infinito quodam virtutis atque veritatis desiderio repleat, quod non aliter nisi animo in libertatem vindicato prorsus expleri satiarique possit, ut manifestum sit in Socrate hic tamquam vivam immortalitatis imaginem expressam cerni. Itaque facile apparere arbitramur utramque philosophi vel morientis vel amantis speciem habere quidem aliquid commune, sed tamen item adeo inter se discrepare, ut altera ab altera plane separata sit ac seiuncta et quaeque in se absoluta et perfecta esse putanda sit. Haec autem cum ita se habeant, profecto consequens est, ut iudicium de Phaedonis summa atque consilio haudquaquam e Symposii rationibus suspendendum sit.

Haec igitur sunt fere, quae Schleiermacherus de Phaedonis causis et consiliis commentatus est; quae certe nemo non videbit esse eiusmodi, ut a vulgari de summa operis iudicio plurimum discrepent. Haec omnia autem, quae ab eo disputata sunt, recentiorum criticorum non paucorum plausum tulerunt, quandoquidem postea exorti sunt, qui eius sententiam vel simpliciter amplecterentur vel nonnihil mutatam eo modo defenderent, ut eam rationem, quae vulgo esset probata, et ipsi deserendam arbitrarentur.

Et Ferd. Christ. Baurus¹⁾ quidem Schleiermacheri sententiam omnino ita comprobavit, ut eam vel ideo iudicavit assensione esse dignissimam, quia argumenta in Phaedone pro animorum immortalitate allata, ubi subtilius examinentur, perquam infirma et imbecilla esse videantur, ut illorum expositio merito pro secundaria operis parte habenda sit et Platonem credibile sit in hoc opere componendo aliud quid egisse, quam ut immortalitatis spem adiuveret. Sed unde tandem apparere dicemus ipsum Platonem de sua disputatione pro animorum sempiternitate suscepta tam humiliter et prope abiecte scensisse? Nimirum id certe sumpsit potius Baurus, quam demonstravit, quoniam ipse scilicet recentioris philosophiae placitis meliora edoctus, quid de dialecticis eiusmodi argumentationibus existimandum sit, clarius perspectum habere sibi visus est. At enim vero graviter ac severe Platonem egisse atque disputationibus istis

1) In libro praestantissimo: das Christliche des Platonismus, pag. 144 sq.

tribuisse plurimum vel ex eo intellegitur, quod iis non modo in Phaedone amplissimum spatium concessit — pertinent enim inde a pag. 70 A usque ad pag. 107 A —, sed easdem etiam in aliis libris gravissimis simili modo instituit, ut in Phaedro, in Republica, in Legibus. Nec vero illae ullo modo contemnendae sunt, si quidem revera tam sunt acutae tamque subtiles, ut nec posteriorum saeculorum sapientia, ubi discesserimus a Christianae religionis doctrina, certius quiddam ac firmiter hoc in genere extulisse videatur. Id quod tanto confidentius asseverare licet, quoniam summus philosophus, sicuti postea ostendemus, sapientissimo consilio cum dialecticis argumentis etiam eam rei confirmationem coniunxit, quae a virtutis colendae necessitate atque divinae iustitiae existimatione est repetita. Quamquam ille nullo modo celavit quaestiones istas utique esse arduas ac difficiles explicatu¹⁾. At enim experiendum certe omni modo censuit esse, quid humana ratio hac in causa posset neque desperandum iudicavit de veri reperiendi facultate²⁾. Quod certe non est hominis suae ipsius rationi dissidentis aut eam contemnentis.

Nec vero ab hac Bauri ratione multum deflexit Fr. Iul. Guttmannus³⁾, qui licet doctrinae de animorum immortalitate in Phaedone explicatae maiorem paullo impertiat dignationem, tamen libri summam denique eo redire arbitratur, ut hoc unum maxime doceatur sapientissimo cuique firmissime de animi immortalitate persuasum esse debere. Quod certe facile apparet cum Schleiermachi ratione planissime concordare, praeterquam quod a Guttmanno in locum philosophi mortem commentantis substitutus est philosophus, cui de animi immortalitate penitus persuasum sit. Nec vero ille de arctiore Phaedonis et Symposii coniunctione aliter quam Schleiermacherus statuit.

Iam vero Hermannum Schmidium⁴⁾ ubi audimus, Phaedo scriptus est eo consilio, ut sapientem intellegatur mortem non horrere ac reformidare, sed potius forti fidentique animo expectare propterea, quod ipsi penitus sit persuasum illa subeunda veram immortalemque vitam recuperatum iri. In quo ipse quoque tenuit illa, quae Schleiermacherus de interiore quodam libri cum Symposio nexu disputavit, atque id imprimis egit, ut quoniam tamquam unitatis vinculo singulae sermonis partes inter ipsas coniunctae sint, clarius perspiciatur. Quam-

1) Pag. 84 C—E, 85 C, 90 E, 91 A—C, 107 sq.

2) Pag. 90 E sq.

3) Commentatio de Platonis Phaedone. Progr. Gymn. Suidnic. a. 1842.

4) Beiträge zur Erklärung von Plato's Phaedon. Mützell, Zeitschrift für das Gymnasialw. 1852. Fasc. V—VII.

quam multum veremur, ne ille, hoc dum ita fecit, quasi quoddam discidium inter dialogi formam atque materiam introduxerit, quod quomodo cum arte operis et compositione conciliari queat, haud sane intellegimus.

Pergimus nunc ad rationem Caroli Steinharti¹⁾, cuius sententia huc fere redit. Primum quidem sese ostendit Schleiermacher de Phaedonis et Symposii arctiore coniunctione omnino assentiri. Deinde dubium nemini futurum esse censet dramaticam dialogi partem accuratius consideranti, quin hac ipsa parte operis species quaedam et imago philosophi sit efficta in ipso vitae mortalis termino constituti atque ita animati, ut propter indefessum, cui deditus fuerit, sapientiae studium certissime sibi persuaserit mortem non modo non in malis ducendam esse, verum etiam aditum ad maximam vitae perfectionem ac similitudinem cum deo patefacere, quam sapientissimus quisque ardentissimo animi desiderio expetere solet. Iam vero etiam ea, quae praeterea de immortalitate animorum disserantur subtilius, pertinere existimat eo, ut certius intellegatur firmam stabilemque de animorum immortalitate persuasionem eamque ad scientiae constantiam profectam omnis philosophiae fundamentum pariter atque culmen et fastigium esse²⁾. Quocirca de universi operis summa atque proposito denique ita statuit, ut in eo verus germanusque philosophus informetur, iamiam e vita mortali discessurus et ad ultimum finem atque terminum scientiae et cognitionis aeternae veritatis properans³⁾. Haec igitur Steinhartus de ultimis Phaedonis rationibus et consiliis. Quae quantum habeant cum iis cognationem, quae a Schleiermachero aliisque criticis ab illius sententia profectis disputata sunt, vix demonstrare attinet, quippe cum philosophi in ipso mortis articulo constituti imaginem pro parte libri primaria haberi omnibus sponte apparituros sit. Sed quod partem dialogi dialecticam arbitratur eam vim habere, ut persuasio de animi aeternitate ad

1) Einleitung zum Phaedon in Platon's sämtl. Werke. Uebers. v. Hieron. Müller. IV. p. 386 sq.

2) L. I. pag. 390: „Als Grundgedanken und als Ziel der philosophischen Erörterungen glauben wir aufstellen zu müssen, dass die zur Erkenntniss erhobene Ueberzeugung von dem ewigen Leben der Seele, der Trägerin der Idee des Lebens und der unaufhörlich wirksamen Vermittlerin zwischen der Welt der Ideen und Erscheinungen, aller Philosophie Grundbedingung und höchstes Ergebniss sei.“

3) L. I. p. 426: „Der Dialog ist bestimmt den wahren Philosophen darzustellen, wie er bei seinem Abschiede vom Leben am höchsten Ziele seiner Erkenntniss steht.“ Pag. 409: „Die doppelte Aufgabe unseres Dialoges, die Philosophie in ihrer Vollendung darzustellen und die Unsterblichkeit des Geistes als ihre Grundbedingung und ihr höchstes Ergebniss nachzuweisen, löst Socrates nicht minder handelnd und leidend als — redend.“

scientiae firmitatem explicata omnis philosophiae sit principium, eius rei non attulit iustas causas. Quatenus enim immortalitatis spe et fiducia omnis ipsius philosophiae perfectio absolvatur, id minime ostendit neque Socratis philosophi mortem commentantis imagine ullo modo declaravit.

Sed veniamus tandem ad eam sententiam, quam nuper Franc. Susemihlius¹⁾ defendit. Persuasum vero etiam illi est de interiore Phaedonis ac Symposii necessitudine, nec tamen cum aliis, de summa operis qui inde iudicii sui rationes repetierunt, usquequaque consentit, quippe cum Platoni in Phaedone exarando id potius fuisse propositum censeat, ut illustranda animorum immortalitate animi vis atque natura eiusque cum ideis pariter atque cum rebus spectabilibus coniunctio et necessitudo aperiretur et quasi recluderetur²⁾. Quod igitur Steinhartus iudicavit uni maxime dialecticae disputationis parti esse propositum, ut animo utpote ideae vitae tenaci et participi atque idearum rerumque sensibus subiectarum interpreti et conciliatori vitae sempiternitas vindicetur, id ille omnino ita accepit, ut non modo omnem disputationem in animi vi ac natura illustranda versari iudicaverit, quippe cum inde tota dialectica, ethica et physica suspensa sit, verum etiam in ea re principale libri argumentum et consilium cerni statuerit, cui imago philosophi in mortis commentatione defixi tamquam subiecta et accommodata sit. Sed est illud profecto eiusmodi, ut Phaedoni attribuat, quod multo latius pateat, quam quod conveniat argumento, in quo disputatio libri revera versatur. Nam vim et naturam animi in hoc libro manifestum est non totam atque integram exquiri, sed eatenus tantum illustrari, quatenus id instituta de immortalitate disputatio exegerit. De dialectices autem atque ethices et physices cum animi cognitione necessitudine ibi adeo non exponitur, ut iste quidem philosophiae locus vix leviter attingatur.

En igitur habes iam varias criticorum de Phaedonis ultimis consiliis ac rationibus sententias, nostra memoria in medium allatas. Quae quot et quantis obnoxiae sint dubitationibus, ex iis, quae a nobis exposita sunt, facile intellegitur. Quominus igitur recentiorum criticorum iudiciis protenus accedamus, maxime haec officiant. Primum enim illi non pauca ad argumentum et consilium Phaedonis retulerunt, quae in hoc opere aut plane non tractantur aut leviter tantum attinguntur, ut potius

1) Prodromus platonischer Forschungen, pag. 3 sq. Die genetische Entwicklung der platonischen Philosophie. Vol. I. pag. 464 sq.

2) Genet. Entwickel. I. p. 466: „Die wahre Aufgabe des Gesprächs ist also die, die Unsterblichkeit oder die Ontologie der Seele als den Knotenpunkt zwischen der Dialektik auf der einen und der Ethik und Physik auf der andern Seite darzustellen.“

aliunde arcessita et philosopho invito obtrusa, quam ex eius libro hausta et repetita videantur. Satis erit hic memorare sententias Susemihlii, vim et naturam animi inferiorem in Phaedone recludi arbitrantis, vel Steinharti, persuasionem de animorum immortalitate philosophiae principium esse demonstrantis, vel ipsius Schleiermachers, philosophi mortem commentantis imaginem primum argumentum esse putantis. Deinde recentiorum criticorum de Phaedonis proposito iudicia ubi amplexi fuerimus, fieri non poterit, quin universi operis ars atque compositio adeo laborare existimanda sit, ut quomodo singulae illius partes inter se nexae et ad unum finem coniunctae sint bandquaquam intellegatur neque totius operis simplicitas et convenientia ullo modo perspiciatur. Illorum enim si rationes valeant, propemodum omnia, quae ad fidem immortalitatis probandam pertinent, omnino omittenda fuerint. Denique praecepta de colendae virtutis necessitate quorsum pertineant, nemo intellegit itemque iudicii mortuorum et rerum supernarum pariter atque infernarum pictura adeo ampla et magnifica. Referunt autem haec talia placita interpretum nescio quomodo recentiorum quandam disciplinae rationem, qua ita fieri assolet, ut migratis severioris interpretationis legibus licentius etiam ea veteribus scriptoribus attribuantur, quae ex noviciae sapientiae ratione ab iis dici vel potuisse vel debuisse videantur.

Cum igitur eae, quae nuper de Phaedonis consilio propositae sunt, sententiae idoneis rationibus destituantur, auquirenda est sane alia ratio, qua quaestio perquam difficilis expediatur. Fatemur vero aperte nobis quidem unice rectam atque veram videri eorum sententiam, qui id potissimum in hoc opere agi censuerunt, ut animorum immortalitas argumentis ex philosophiae ratione ac disciplina depromtis confirmetur¹⁾. At spectaverunt superiores illi interpretes nihil fere aliud nisi argumenta dialectice explicata et ex animorum statu et natura repetita, quae pro animorum aeternitate in medium afferuntur, reliqua autem ad merum dialogi ornatum retulerunt. In quo sane errarunt non mediocriter, quandoquidem etiam reliqua omnia ad immortalitatis disputationem prudentissime attemperata esse pro certo habendum est.

1) [In eorum numero, qui Phaedonem esse de animorum immortalitate statuerunt, habendus est I. Dautwitz, Entwicklung des inneren Zusammenhanges in Plato's Phaedo. Progr. Ratzeburg. a. 1841. Addit autem argumentis, quibus immortalitatem animorum in Phaedone tractari iam ab aliis demonstratum est, hoc novum, quod Platonem dicit ipsum ea de re disputationem institui pag. 70 B plane indicavisse, id quod tanto maioris sit momenti, quod nisi in Phaedone et Sophista in aliis dialogis quid sibi fuerit propositum non significaverit.]

Videmur quid rei sit duobus verbis posse significare. Agitur enim nostro iudicio causa immortalitatis in Phaedone non modo dialectice, sicuti vulgo existimatum est, verum etiam ethice. Quippe dialectice illa defenditur eo, quod argumenta ex animi natura petita pro illa afferuntur. Ethice autem illa tractatur, quatenus vel exemplo et moribus Socratis vel etiam praeceptis virtutis et sapientiae ab eo hic et illic propositis docetur virtutis atque veritatis quaerendae atque adipiscendae disciplinam haudquamquam posse consistere, nisi animos immortales esse nobis persuadeamus. Et de dialecticis quidem disputationibus ad immortalitatem probandam accommodatis postea dicitur explanatius. Itaque hoc loco id unum agendum videtur, ut quatenus reliqua eodem faciant, breviter ostendatur.

Facit autem huc ante omnia Socratis morientis descriptio, in quo tamquam viva quaedam imago sapientis expressa cernitur, qui non modo mente et intellegentia, sed etiam animo atque pectore spem immortalitatis adeo firmiter conceperit, ut ipsius exemplo facile cognoscatur, quantum diviniore vitae spes et fiducia non modo ad bene vivendum, sed etiam ad bene moriendum valeat. Huc enim pertinet, quod Socrates is informatur, qui recte factorum conscientia sustentatus atque sapientiae disciplina ad spem futurae post mortem beatitudinis erectus moriendi necessitatem iamiam imminem non modo non horret, sed etiam laeto ac tranquillo animo expectat, ut adeo lugentes amicos amanter consoletur atque inter omnes unus sit, qui perpetuo tueatur animi constantiam ac fortitudinem. Huc spectat, quod aequa mente uxores ac liberos, dum sermones de immortalitate instituturus est, discedere iubet, ne querelis et lamentationibus eorum sanctissimum hoc tempus tamquam vocibus male ominatis interturbetur, quodque lenis, mitis, benevolus erga omnes est, qui in carcere praesentes adsunt, ne ianitore quidem atque ministro undecimvirorum excepto, qui ei letiferum cicutaec poculum porrecturus est. Huc pertinet, quod plenus est pia erga deos reverentia, quorum voluntati per omnia obtemperare promptus et paratus est quosque tam religiose colit, ut vel in extremo vitae termino constitutus gallum Aesculapio olim voto promissum immolari iubeat et in carcerem coniectus poemata pangat, si forte animum isto modo religione possit exsolvere. Huc denique referenda est praeter alia multa etiam admirabilis illa animi serenitas et tranquillitas, qua postremo mortem ita oppetit, ut sese cum diis fore coniunctiorem planissime speret et confidat.

Ex his omnibus vero quis est, quin profenus animadvertat, quantum praesidii spei immortalitatis accedat, quandoquidem sito pacto interiore quasi animo sentimus humanam vivendi

condicionem utique eam esse, ut immortalitatis fiducia vel maxime indigeamus ad bene et vivendum et moriendum? Socrates autem iste moribundus prope omnibus argumentationibus dialecticis plus valet ad suscipiendam immortalitatis fiduciam, quandoquidem nemo est, quin eum intuens sibi persuadeat virum tam pie de futuro sperantem et vitam ante actam honeste sancteque transegisse et futuro tempore fore beatissimum.

Hanc vero tam praeclaram viri imaginem ut effingeret philosophus, Socratem non ad historiae fidem descripsit, sed informavit ut sapientem, qui quanta necessitudine spes immortalitatis cum vita hominum morali, quam dicere licebit, contineretur, intimo pectore senserit. In quo tamen ita versatus est, ut picturae suae id fundamentum subiecerit, quo nullum reperiri potuit certius, hoc est veros Socratis sensus, mores, sermones. Nam ille ut a multis prope pro perfectae et consummatae virtutis exemplo est habitus, ita etiam videtur animorum immortalitatem pia mente auguratus esse¹⁾. Hinc igitur profectus Plato eum ad verisimilitudinis quidem speciem depinxit, sed ita, ut longius progressus quidquid ad talem eius imaginem absolvendam opus esset, qualem ipse pro suo scribendi consilio requireret, cum ex sua ipsius doctrina et ratione, tum ex Pythagoreorum disciplina assumeret. Nam Pythagorici quiddam etiam in persona et moribus Socratis esse conspicuum non temere videmur statuere.

Sed cum Socratis persona ita sit descripta, ut qui eam intueantur, ii quanti facienda sit spes immortalitatis facile sentiant, tum etiam ethicae disputationes cum dialecticis argumentis consociatae eam vim habent, ut plane ad confirmandam immortalitatis fidem comparatae sint. In quo Plato similiter certe sensit atque multis saeculis post immortalis nominis philosophus, Im. Kantius. Hunc enim constat iudicavisse ipsa ratione postulari (postulatum rationis ipse vocat), ut animus sit immortalis, quoniam ita demum vitae honestati atque virtutis studio suus honos suumque pretium constare posse videatur. Quamquam philosophus Atheniensis huius rei iudicium etiam latius patere voluit, qui illud non tantum ad vitae honestatem, sed etiam ad philosophiae scientiam et cognitionem retulerit.

Exstant autem in Phaedone tres potissimum loci, in quibus id agitur, ut animorum aeternitas etiam a virtutis et veritatis rationibus tamquam probabilis et fide digna commendetur. Etenim primum quidem non longe a sermonis principio²⁾ docetur

1) Quamquam de ea re disputavit utique dubitantius, sicuti perspicuum fit ex Apol. p. 40 C et e Xen. Cyr. VIII, 7, 6 sq., ubi quae Cyrus moriens loquitur; ea Socratis mentem ac sententiam videntur referre.

2) Pag. 64 A — 69 E.

verum germanumque philosophum per totam vitam in mortis commentatione occupatum esse; versari enim cum perpetuo in veritatis et virtutis studio. Hoc vero studium nunquam indicatur perfectum et omnibus numeris absolutum existurum esse, quamdiu animus in hoc corpore mortali tamquam carcere quodam inclusus teneatur. Cum vero certum exploratumque sit virum sapientem, quo magis ipse animum a corporis sensuumque communione avocaverit, eo propius accedere ad veritatis absolutae cognitionem virtutisque perfectae laudem, consentaneum esse iudicatur sperare animum ipsius post mortem corporis vinculis liberatum veritatis et virtutis aliquando participem factum iri. Toto igitur hoc loco Plato egregie docuit ipsum studium virtutis et veritatis, hoc est veram germanamque philosophiam non posse consistere, nisi credamus animum non cum corpore plane interire, sed immortalem esse, quandoquidem alioquin nulla sit futura virtutis et veritatis cognitionis, quam sapientissimi quique expetant, perfectio et absolutio.

Atque eodem plane facere existimandus est alius locus¹⁾, quo expositis tribus prioribus immortalitatis animorum argumentis gravi oratione de virtutis et vitae aeternae necessitudine disputatur. Ibi enim quam vim spes immortalitatis ad vitam pure et sancte degendam habere debeat, exponitur, quandoquidem fieri posse negatur, ut qui in hac vita voluptatibus dediti sese corporis vitis contaminaverint, ii olim in vitae purae ac divinae communionem perveniant. Itaque hic quidem virtutis exercitationem docetur tanto constantiorem, generosior, integriorem esse futuram, quo firmiter quis sibi de vitae post mortem futurae divinae conditione persuaserit. Ex quo nullo lere negotio intellegitur immortalitatis persuasionem plane duci oportere necessariam, siquidem officii religio ab unoquoque homine cordato et sapienti hoc exigat, ut superatis sensuum et cupiditatum illecebris unice menti et rationi vivat ideoque bonum et honestum sincere atque integre colat.

Sed tertius quoque id genus locus²⁾ exstat, qui cum ethici sit argumenti, tum ad piam immortalitatis spem in animis excitandam plurimum valeat. Ibi enim postquam ultimis pro animi immortalitate rationibus expositis copiosius demonstratum est animum, si aeternus sit et immortalis, etiam maximo indigere cultu et eruditione, denique etiam hoc ostenditur, omnem hanc rerum universitatem talem esse, quae sperare nos iubeat futurum esse, ut virtuti pariter atque sceleri sua merces constet, quandoquidem haud dubie bonis bene, malis male futurum sit. Quam quidem disputationis partem nonne verissime sic inter-

1) Pag. 80 C — 84 B.

2) Pag. 107 C — 115 A.

prelabimur, ut Platonem dicamus significasse, quod optimi cuiusque sensus auguratur, iustitiam divinam aliquando virtuti atque sceleri sua praemia esse tributuram ideoque animorum sempiternitatem pro certa et indubia poni iussisse.

Atque haec quidem cum ita sese habeant, nobis certe nulla ex parte videtur dubium esse, quid philosophus in hoc opere componendo spectavisse existimandus sit. Referuntur enim omnia denique ad illustrandam confirmandamque sententiam de immortalitate animorum, quae cum dialecticis disputationibus ex conditione et natura animi ductis ad evidentioris mentis intelligentiam et cognitionem explicetur, tum et Socratis exemplo et praeceptionibus ad virtutis et sapientiae disciplinam pertinentibus ad interioris animi confisionem fit illustrior.

Alia autem quaestio est, quibusnam de causis philosophus animum ad conficiendam hanc descriptionem adiecerit. Ad quam quid respondeamus, in promptu habemus. Dubitari enim vix potest, quin Plato totum hunc philosophiae locum, qui est de immortalitate, sibi propterea singulari studio tractandum sumpsit, quod omne doctrinae suae aedificium facile pervidit admodum infirmum fore, nisi de animorum immortalitate certius constaret. Quocirca Phaedoni propositam esse dicemus doctrinae de animorum immortalitate confirmationem, causam autem primariam, cur libri gravissimi scriptio aliquando suscepta sit, in eo positam esse, quod philosophus universae doctrinae suae rationem sine immortalitatis confirmatione nullo modo consistere posse penitus sibi persuaserat. Quod tamen utrumque probe discernendum nec temere confundendum esse liquet.

CAPUT IV.

DISPUTATUR DE ARTE ET COMPOSITIONE OPERIS, QUOD PLANE AD TRAGOEDIAE ALICUIUS EXEMPLUM COMPOSITUM ESSE DOCETUR.

Admirabile sane operis artificium imprimis in eo cernitur, quod philosophus, dum id egit, ut sententiam de animorum immortalitate, quantum fieri posset, confirmaret, simul etiam Socratem eum produxit in medium, qui vim fidei in immortalitate animorum collocatae exemplo suo adeo palam faceret et ita representaret, ut illum dum intuemur vivam imaginem sapientis spem immortalitatis velut medullitus tam mente et intelligentia quam animo et sensu complexi cernere videamur. Quae ipsa res criticos novicios adeo transversos egit, ut in aestimando operis proposito sapientis personam potius quam immortalitatis rationem spectandam esse putarent. At enim vero utrumque una eademque opera a scriptore est perfectum elegantissime,

quandoquidem et sapientis perfecti exemplo et rationum e natura animi et vitae humanae dignitate repetitarum subtilitate id efficitur, ut fides immortalitatis confirmetur et stabiliatur¹⁾.

Hoc autem artificio cum dexterrime usus sit philosophus, commodissime etiam ita potuit rationes dialogi instituere, ut totus sit tragoediae alicui simillimus. Nam cum alii quoque dialogi Platonis fabularum dramaticarum speciem referant²⁾, quandoquidem eo nomine utique propria sibi habent, quae Aristoteles³⁾ cum ab omni artis opere, tum imprimis a tragoedia exigit, initium, iustum progressum, idoneum finem⁴⁾, tum Phaedoni praeter haec etiam ea, quae ab Aristotele⁵⁾ tragoediae spectata una artis conformatione ut priva et peculiaris attribuuntur, mirifice conveniunt, quippe qui quodammodo et *πρόλογον* et *πάρουδον* choricam et *ἐπεισόδια* et *μέλη στάσιμα* et *ἐξοδον* habere videatur. Etenim quemadmodum chorus tragicus fere eo fungitur munere, ut, si qua fert temporum opportunitas, sensus et cogitationes animi ex rerum actarum vel agendarum consideratione susceptos et collectos oratione dignitatis et gravitatis plena ita proloquatur, ut legentes vel audientes non solum ultra humanarum cupiditatum motus vel etiam ultra vitae mortalis sortem et condicionem evahi videantur⁶⁾, ita etiam Socrates in

1) Haec dudum ita iudicavimus, ut vehementer miremur Steinbartum Einleitung zum Phaed. p. 388. de nostra ratione ita scribentem: „Stallbaum stellt die beiden Seiten des Gesprächs, die Darstellung des sterbenden Sokrates und die Begründung und Rechtfertigung der Unsterblichkeit, unvermittelt nebeneinander, weist aber nicht nach, wie die eine in der andern ihre notwendige Ergänzung findet und erhebt sich nicht zu einem höhern, über beiden stehenden und zur Einheit verknüpfenden Grundgedanken.“ Namque quod vir doctus desideravit, id sane in promptu fuit. Censuimus enim etiam tum, quod nunc censemus, immortalitatem animorum tum exemplo Socratis tum argumentis ex philosophia repetitis confirmari, ut luculentissime pateat immortalitatis notionem commune tamquam vinculum esse, quo omnia aretissime contineantur. Quae Steinbartus non intellexit, ea alii recte interpretati sunt.

2) Cf. Frid. Thiersch, Ueber die dram. Natur der plat. Dialoge (Abhandl. d. philol. Classe d. königl. bairischen Academ. d. Wissensch. München, 1837).

3) Poet. cp. VII.

4) Fabularum scaenicarum partes, *πρότασις*, *ἐπίτασις*, *καταστροφή* etiam a Platone significantur in Crit. p. 45 E et 46 A.

5) Poet. cp. XII.

6) De chori munere et officio v. Arist. Poet. c. XVIII, Hor. A. P. 193 sq. Quamquam in huius rei iudicio variae rei scaenicae aetates bene distinguendae sunt, cum chorus sciamus alium apud Aeschylum, alium apud Sophoclem, alium apud Euripidem esse informatum. Optime de hac re disseruit Goethius in Epist. d. 28. Jul. a. 1803 ad Zelterum data (ed. F. W. Riemer. p. 68 sq.). Sophoclis exemplum a Platone imitando expressum esse non est quod dubitemus.

Phaedone, ubi gravior aliqua dialecticae quaestionis pars vel suscipitur vel absoluta est, eo modo verba facit, ut virtutis et sapientiae rationes intueatur, animos amicorum ad desperationem abiectos erigat et tranquillet, causam dubiam et ancipitem divinae iustitiae pie confisus tueatur adeoque quasi numine divino instinctus futuram animorum vitam auguret, denique ut iis, qui dialectico acumine disseruntur, etiam interiorum animi assensionem conciliet. Haec igitur ratione scite profecto excogitata Plato effecit, ut, quemadmodum in tragoediis cantica chorica et orationes agentium personarum alternis vicibus sese excipiunt, ita etiam in Phaedone duplicia quasi elementa operis, altera ethica ac suasoria, altera dialectica, discernantur, ex quibus universus liber ad fabulae alicuius scaenicae similitudinem sit compositus, ornatu scaenico potissimum ab ultimis Socratis satis extremaque fortuna adscito.

Quae quidem ubi tenemus, non ita difficile est iudicare, quod tamen adhuc viros doctissimos fere latuit, quanam sit totius operis compages et structura. Hoc ipsum igitur ita exponere conabimur, ut etiam universi sermonis argumentum, quatenus ad rem praesentem opus videatur, dilucidemus.

Itaque prima dialogi pars complectitur prologum, qui pertinet usque ad p. 69 E. Qui quidem locus duas habet partes, tum scaenicae adorationem, tum argumenti expositionem una cum prima disputatione ethici generis¹⁾, quae parodi vice fungitur, ita ut dialogi *πρότασις* conficiat. Respondet igitur hic locus ei parti tragoediae, quae pertinebat usque ad ingressum chori vel primum eius canticum habebatque initium dramatis, unde quid ageretur omnino intellegi posset, ut apud Soph. Oed. Tyr. 1—150.

Altera pars habet actionis i. e. dialecticae disputationis contentionem sive *ἐπίτασιν*, quandoquidem disputatur ibi de argumentis, quibus animos immortales fore intellegatur²⁾, et absolvitur tribus partibus, in quibus dialectica atque suasoria eaque maxime moralia alternis vicibus sese ita excipiant, ut omnia admirabiliter ad episodiorum et stasimorum similitudinem comparata videantur. Nam primum quidem ordine fere continuo tria pro animorum sempiternitate afferuntur argumenta, qui est quasi novus fabulae actus vel primum *ἐπεισόδιον*³⁾. Quibus sermonibus Socrates adiungit cohortationes, quibus ostendit, quantum ad virtutem et sapientiam referat, ut animum in hac vita terrestri, quoad fieri possit, a corporis concreione liberum praestemus. Quae quidem cum sint ethice magis quam

1) Cf. supra p. 27.

2) Pag. 69 E — 107 B.

3) Pag. 69 E — 81 B.

dialectice explicata, facile intellegitur choricorum carminum instar esse, praesertim cum magnam partem etiam religiosam spirent pietatem et mythorum involucris exornata sint. Ex eo apparet has cohortationes stasimi primi¹⁾ instar putari licere.

Eam libri partem, quae sequitur, recte alteri *ἐπεισόδιον*²⁾ fabulae alicuius tragicæ comparaveris. Incidit enim hic inexpectata plane rerum conversio. Nam praeter omnium opinionem de spe immortalitatis, quam omnes iam satis confirmatam putavissent, repente gravis movetur controversia, quandoquidem Simmias et Cebes spem illam argumentis subtilissime excogitatis adeo convellunt ac labefactant, ut paene tota videatur de medio sublata esse, id quod etiam Echeocrates, cui Phaedo haec narrat, non sine causa ita accidisse arbitratur.

At enim vero in hac rerum desperatione Socrates suscepto denuo sermone causam iam in magnum discrimen adductam sustentare aggreditur. Impertit enim amicis sapientissimas de veritate quaerenda praeceptiones, quae ad delectos eorum animos consolandos et erigendos valent plurimum. Quam quidem sermonis partem apparet obtinere alterius stasimi³⁾ locum, cum plane ad tranquillandos desperantium animos comparatus sit.

His vero ita expositis sequitur ultimum quasi *ἐπεισόδιον*⁴⁾, quod accelerat dramatis *καταστροφήν*. Confutatis enim Simmiae et Cebetis dubitationibus Socrates viam demonstrat, qua ad interiorem ortus et interitus itemque causae rerum intellegentiam perveniatur, siquidem una doctrina de ideis celsioris veritatis tamquam penetralia aperiat. Quo facto animi immortalitatem etiam novo eoque validissimo argumento confirmat, in quo omnes denique acquiescendum esse putant, quamquam Simmias etiam nunc imbecillitatem naturae humanae tantae rei cognoscendae vix sufficere arbitratur.

Iam vero actione rei primariae finita atque pugna et contentione de immortalitatis spe et exspectatione aliquando composita denique tertia pars principalis totius operis subiungitur, quae habet exodum atque epilogum⁵⁾. Quemadmodum enim supra animadvertimus initium operis prologum una cum praevia argumenti expositione complecti, ita postrema illius pars inverso ordine exodum atque duplicem epilogum comprehendit.

1) Pag. 81 B — 84 B.

2) Pag. 84 C — 88 E.

3) Pag. 88 E — 91 C.

4) Pag. 91 C — 107 B.

5) Pag. 107 C — 118.

Et exodus¹⁾ quidem haec sanequam similis est expositioni illi dialogi in principio factae etiam propterea, quod cum virtutis commendationem contineat longe gravissimam, tum eo ipso spem et fiduciam immortalitatis non mediocriter sustentat. Etenim vindicata animis tandem immortalitate denique tota res eo vertitur, ut exinde colligatur animi curam non pro hac tantum vita terrestri, sed pro omni temporis aeternitate geri oportere, quandoquidem olim futurum sit, ut virtuti sua merces, sceleri sua poena constet. Id quod etiam grandi et magnifico mytho declaratur, quo mortuorum iudicium ita describitur, ut universam terram legibus divinae iustitiae convenienter conditam esse luculente demonstratur.

His omnibus vero adiungitur denique duplex epilogus, qui prorsus respondet duplici prologo in fronte operis posito. Describit enim Phaedo primum²⁾ Socratis obitum pulcherrima morientis sapientis imagine ob oculos posita. Quo facto etiam Echeocrati verbis paucissimis confirmat³⁾ fuisse utique Socratem non modo inter aequales suos, quos ipsi noverint, longe excellentissimum, sed etiam aliter longe sapientissimum et iustissimum. Quibus dictis dialogus denique finitur.

En designavimus iam universi sermonis structuram et compagem. Respondet profecto vel ipsa forma dialogi planissime iis, quae de animorum immortalitate ita disputata sunt, ut eius confirmatio et dialecticis quaestionibus et Socratis morientis exemplo et praeceptionibus absoluta sit.

CAPUT V.

DILUCIDANTUR SINGULAE LIBRI PARTES CONFIRMATURQUE SIMUL IUDICIUM DE SUMMO EIUS ARGUMENTO ET CONSILIO ANTEA DEFENSUM.

Dialogus est *διηγηματικός*, qui continetur narratione interposito inquam et inquit, nec vero *δραματικός*. Quamquam utrumque genus scite mixtum ac temperatum est, cum de ultimis dictis et factis Socratis ita referatur, ut ipsa narratio prope ad dramaticam rerum expositionem accedat.

Prologus duas habet partes, tum scaenae ornatum, tum praeviam argumenti expositionem. Et scaena quidem duplex est, altera Phliunte Sicyoniae oppido, altera Athenis constituta. Itaque primum res agitur Phliunte, ubi Phaedo Elidensis Echeocrati, tum recenti, ut

1) Pag. 107 C — 114 C.

2) Pag. 114 C — 118.

3) Pag. 118.

videtur, Peloponnesi incolae, narrat, quid Socrates supremo vitae die dixerit atque egerit. Quod cur ita institutum sit, in promptu est. Etenim primum quidem scaena colloquii isto modo Athenis aliorum translata multa, quae aliter fuissent silentio transmittenda, commodissime potuerunt copiosius narrari, cum Echebrates rerum Atticarum imperitus fingatur. Cuius generis sunt illa, quae narrantur de Deliorum celebritate, de morte Socratis per triginta dies procrastinata, de aliis rebus similibus, quae certe omnia Athenis in vulgus fuerunt nota. Deinde dialogus etiam propterea Phliunte habitus fingitur, quod Plato statim a principio libri aliquo modo significandum censuit doctrinam immortalitatis rationi Pythagoreorum admodum cognatam esse et partim inde ductam. Phliunte enim Pythagoreos iam inde ab aetate Pythagorae, qui et ipse ibi aliquamdiu commoratus erat, sedem ac domicilium suum habuisse constat. Atque id ipsum tanto elegantius ita est institutum, quod philosophus sermonibus Athenis habitis ut principes oratores interesse iussit etiam Simmiam et Cebetem, qui cum essent discipuli Socratis fidelissimi, tum Thebis a Philolao Pythagoreo ad doctrinae cognitionem nonnihil profecerant. Accedit denique, quod isto modo non incommode potuit etiam significari, quonam tempore Phaedo litteris esset exaratus, quandoquidem e mentione Pythagoreorum Platonem facile conicere licet, quo tempore hunc librum composuit, iam arctiorem quandam cum illis contraxisse familiaritatem accepta etiam accuratiore doctrinae ipsorum notitia.

Pergimus ad scaenam colloquii, Athenis constitutam. Describitur vero hic ante omnia mixtus ex dolore et gaudio sensus, quo cum omnes tum ipse quoque Phaedo maxime affecti fuerint ad Socratem ventitantes, quippe quem ultra vitae humanae humilitatem elatum tamquam augurati sint iamiam ad diviniore vitae beatitatem esse discessurum; quod nemo est, quin sentiat praeclare cum principali libri argumento et consilio convenire. Narratur porro, quinam ex eius amicis et familiaribus interfuerint ultimis eius sermonibus, inter quos imprimis memorabiles sunt Simmias et Cebes Thebani. Hi intromissi in carcerem Socratem offenderunt modo vinculis liberatum et Xanthippen uxorem una cum filiolo iuxta ipsum assidentem. Qua quidem amandata, ne scilicet fletu et eiulatu eius sanctissimum hoc moriendi tempus tamquam vocibus male ominatis interturbetur, continuo transitus fit ad eius rei, quae toto libro potissimum agitur, quasi praeparationem. Socrates enim crus modo vinculis solutum manu perfricans scite animadvertit mirabiliter sic esse a natura institutum, ut dolor et voluptas, quia simul eodemque tempore movere homines non possint, tamen veluti extremis verticibus suis copulati sint doloremque voluptas ac voluptatem vicissim dolor sequatur. Quo quidem dicto quis

est, quin sentiat legentes rursus quodammodo de mortis et vitae coniunctione commoveri, quarum altera dolorem, altera voluptatem afferat? Ubi vero ille praeterea etiam iudicavit Aesopum re animadversa inde haud dubie fabulae alicuius argumentum fuisse repetiturum, huius rei animadversio opportunitatem suppeditat, qua sermo ad moriendi studium et voluntatem traducatur. Cebes enim iniecta Aesopiae poesis mentione cum aliorum tum Eveni sophistae nomine scire avet, quid tandem causae fuerit, cur Socrates nuper versus fecerit. Cui Socrates id religionis cuiusdam causa ita a se factum esse respondet simulque Evenum philosophum moneri iubet, ut se quam primum sequatur; philosophos enim certe germanos ita facere non recusare. Ibi vero postquam demonstratum est studium moriendi philosopho dignum non esse temere cum morte voluntaria confundendum, tandem eleganter atque copiose docetur coniunctum illud esse utique cum spe animi immortalitatis, qua sapiens ita sibi persuadeat, ut post hanc vitam terrestrem alteram vitam futuram esse existimet, qua liceat ad pleniorum certiorumque scientiae atque virtutis possessionem pervenire.

Itaque dehinc acceditur tandem ad rem ipsam, cum iam ventum sit ad primariae quaestionis tamquam exordium et totius dramatis parodon. Demonstratur autem ibi sapientem ideo mori lubentem ac volentem, quia philosophia nihil aliud sit nisi commentatio mortis, eoque simul etiam immortalitatem ostenditur ad philosophiae absolutionem necessario requiri, quippe cum in hac vita terrestri tam veritatis quam virtutis studium magis inchoetur, quam absolvatur, ita ut desiderium vitae alterius olim post mortem futurae in animo sapientis ultro suboriri necesse sit. Quod quo magis intellegatur qua via et ratione fiat, iuvabit argumentationem in brevius contractam apponere. Mors, inquit philosophus, nihil aliud est nisi animi a corpore seiunctio¹⁾. Cum vero mors huic notioni subiecta sit, siquidem praedicatum subiecto patet latius, tum etiam philosophia id habet sibi proprium, quod animum usque a corpore avocare et seiungere studet ideoque eidem illi notioni est subiecta. Ex quo efficitur, ut philosophia sit meditatio et praeparatio mortis, quandoquidem et ipsa ad seiunctionem quandam animi a corpore efficiendam comparata est. In qua quidem conclusione etsi illud neminem facile praeteribit, quod, si verum quaerimus, alia mortis, alia philosophiae ratio est, qua animus a corpore dissolvatur, tamen similitudinem certe quandam philosophiae cum morte hoc nomine intercedere utique ex eo apparet, quod utraque generaliori solutionis et disiunctionis animi a corpore notioni subiecta est. His vero ita conclusis porro etiam

1) Pag. 64 C.

efficitur eum, qui per totam vitam in mortis meditatione versatus sit, mortem appropinquantem non modo non horrere, sed etiam laetum exspectare. Quin etiam intellegi inde posse docetur eum, qui non aequo tranquilloque animo mortem subeat, philosophi nomine esse indignum; eum vero, qui tali mente et animo praeditus sit, etiam verum ac germanum esse virtutis cultorem, qui virtutem ita exercent, ut ipsam sprete omnibus emolumentis et iucunditatibus pro animi purgatione quadam habeat, qua ad vitae beatae olim post mortem futurae idoneam participationem instituatur.

Haec igitur summa est disputationis loco satis memorabili copiosissime pertractatae, quacum contendisse non inutile erit descriptionem sapientis ex huius vitae tenebris ad similitudinem cum deo eluctari gestientis, quae legitur in Theaeteto¹⁾. Inde vero nullo negotio perspicietur scite atque eleganter hic transitum ad immortalitatis quaestionem ita factum esse, ut simul tamquam praevium quoddam eius argumentum ostensum sit eo, quod spem futurae beatitudinis ad philosophiam nomine suo dignam utique necessario requiri demonstratum est. Comparata autem omnia sunt ad quaestionem libri primariam, quae in immortalitate animorum confirmanda versatur, quandoquidem vel viam ad illam muniunt vel quantam vim spes immortalitatis habeat ad vitam sapienter honesteque degendam luculentissime patefaciunt.

Iam vero his ita disputatis tandem ad dialecticam rei disceptationem perducimur, quandoquidem deinde etiam clarius evidentiusque edocemur, quidnam illud sit, de quo potissimum agatur, proposita etiam animi immortalitatis definitione maxime perspicua, ut facile appareat Platonem hic diligentissime observare quod ipse in Phaetro praecepit, omnem cuiusque rei disputationem exordiendam esse a definitione eius rei, de qua sermo futurus sit. Cebes enim posteaquam Socratis sententiam accepit, ipse quoque eam assensione sua comprobat, sed tamen ita comprobat, ut etiam demonstrandum esse arbitretur animum post mortem quoque manere superstitem et usque vi vitali atque intellegentia (sui conscientia cum cognitione coniuncta) praeditum esse. Qua definitione certe nihil potest esse luculentius. Iudicatur enim animorum immortalitas non in eo tantum posita esse, ut animorum vis vitalis non extinguatur, quemadmodum in adspectabili rerum natura nihil quidquam penitus interit, sed omnia tantummodo mutantur, sed potius in eo contineri censetur, ut animi in sempiternum tempus vigeant usque propria vi sua atque *φρονήσει* h. e. scientia et intellegentia (sui scientia) praediti. Quam quidem Platonis

1) Theact. p. 176 B sq. Prolog. ad Phileb. p. XXIX.

esse sententiam etiam ex eo intellegitur, quod pag. 107 C sq. unumquemque docetur suam sortem manere et pag. 114 C omnia tentanda esse iudicatur, ut iam in hac vita terrestri virtutis et sapientiae laudibus potiamur.

Animi autem ipsius vis et natura quod non accuratius est definita, eius rei quatenam causae sint, ad coniciendum non adeo est difficile. Nam primum quidem quatenam sit animi vis eo ipso quodammodo ostenditur, quod eius aeternitas luculentis argumentis demonstratur. Deinde qui locum Phaetri, procul dubio ante Phaetonem editi, p. 246 A sq. meminissent, ii certe non potuerunt dubitare, animus quin visus sit Platoni principium vitae totum ex se aptum, quod ipsum per se contineret causam et rationem, cur esset ac moveretur, quam ipsam sententiam etiam in ipso Phaetone, quo loco immortalitatis argumentum ex ipsa animi idea repelitur, satis illustravit. Itaque de hac quidem re non est cur multum ambigamus. Maiorem vero dubitationem alicui illud iniiciat, quod philosophus, cum tripertitum fecerit animum humanum, quippe quem ex τῷ λογιστικῷ, τῷ θυμικῷ et τῷ ἐπιθυμητικῷ constare vuluerit¹⁾, tamen non declaravit, velletne totum atque integrum an rationalem tantum eius partem aeternum esse. In cuius rei quaestione iam veteres Platonici in diversissimas partes discesserunt, quorum sententias referunt Olympiodorus²⁾, Proclus³⁾, Alcino⁴⁾. At enim vero ex omni Platonis disputatione satis perspicuum est eum totum animum esse voluisse immortalem, licet τὸ θυμικὸν et τὸ ἐπιθυμητικὸν eius censuerit cum corpore esse cognatius. Quippe sunt immortalitatis ipsius certe gradus varii, quandoquidem animi beatitudinis cum ea coniunctae plus minusve fiunt participes, prouti ipsi a corporis communione liberi et immunes exstiterunt, id quod vel ex eo clarissime apparet, quod uni sapientes perfecta immortalitatis beatitudine fructuri esse iudicantur. Itaque τὸ θυμικὸν et τὸ ἐπιθυμητικὸν ne post mortem quidem quamvis fracta corporis vi et potentia plane ab animis abest nisi quatenus iam in hac vita vis eius est victa et quoad fieri potuit suppressa. Quocirca vehementer in his dissentimus cum C. F. Hermann⁵⁾, qui evincere studuit Platonem solius partis animi rationalis immortalitatem statuisset.

Posita igitur immortalitatis definitione inde a cap. XV. acceditur tandem ad argumenta, quibus dialectice demonstratur animos esse immortales. Orditur igitur dehinc, sicuti iam signi-

1) Ad Reip. I. III. p. 410 B.

2) Schol. in Pl. Phaet. §. 175. ed. Finckh.

3) Ad Tim. p. 311 sq.

4) Isagog. 25.

5) Disput. de partibus animae immortalibus secundum Platonem. Gotting. 1850.

ficavimus, dialogi pars altera, quae habet actionis contentionem. Afferuntur autem deinceps paucis verbis interiectis tria immortalitatis argumenta sic, ut ab iis, quae videantur esse leviora, paullatim ad graviora et ponderosiora procedatur, quemadmodum fieri meminimus in fabulis scaenicis scite ac solerter elaboratis¹⁾.

Primum quidem e naturali nascendi lege et externa condicione, qua animi vigeant (*aus der äusseren Erscheinungsform der Seele*) demonstratur vitae et mortis vicissitudinem haudquaquam eam esse, unde animos aliquando morte absumtum iri aut penitus interituros esse concludere liceat. Quae quidem sententia confirmatur dupliciter. Primum enim ad auctoritatem veteris cuiusdam de animorum migratione narrationis antiquitus proditae provocatur, qua animi perhibeantur alternis vicibus modo hinc e terris abire ad inferos, modo rursus illinc ad superos redire. Enimvero inde ne morte quidem animum extinguere colligitur, quia si secundum veterem illam famam animi viventes ex mortuis nascentur, esse ipsos atque permanere prorsus necesse sit. Nam si quid existit, profecto necesse est illud ipsum sit, unde existit. Hoc igitur primum istius sententiae firmamentum mythicum est vel potius ab Orphicis atque Pythagoricis petitum²⁾. Eodem Plato usus est etiam in Menone³⁾, ubi illud ait proprium esse τῶν ἑρῳῶν τε καὶ τῶν ἑρῳῶν ὅσοις μετέληκε περὶ ἄν μεταχειρίζονται λόγον οἷοις τ' εἶναι διδόναι atque etiam Pindari versiculos quosdam eam in rem memorat, ut hoc loco aptissime telam ibi derelictam denuo exordiri videatur. Sed quod rursus in hac causa usus est vetustae traditionis tamquam involuero, in eo sane secutus est, quod minime negligi oportet. Est enim ille migrationis orbis, quem Orphici⁴⁾ κύκλον γενέσεως vocarunt, res tamquam in facto posita, quae dialecticam disceptationem fere eludit; quocirca Plato eam more suo pariter mythica ratione illustran-

1) Verum perspexit Brandis, Handbuch d. Gesch. d. Griech.-Röm. Philos. II. p. 441. Permirus est ea de re iudicium Hermannii, Gesch. u. Syst. d. Plat. Phil. p. 528 sq., qui varia immortalitatis argumenta respondere censet variis progressibus, quos ipse Plato in philosophia cognoscenda paullatim fecerit. Nihil enim illis cum his commune est, ut ne illud quidem concedendum videatur, quod prima specie alicui placeat, primum argumentum a statu et motu animorum reciproco desumptum illis temporibus convenire, quibus philosophus philosophiae Ionicorum operam dederit. [Hermannii sententiam tueri conatus est F. Gloël, De argumentorum in Platonis Phaedone cohaerentia. Progr. Magdeburg. a. 1863.]

2) Olympiodorus ad pag. 70 C, ad quem locum plura in commentariis exposuimus. Cf. etiam Lobeck. Aglaoph. I. p. 797 sq.

3) Pag. 81 B.

4) Proclus in Tim. V. p. 330.

dam statuit atque fecit infra inde a pag. 108 A, ubi statum et condicionem animorum post mortem futurum narratione fabulari declarare conatus est, ut tota haec de immortalitate disputatio et a mytho ordiatur et mytho quodam finiatur.

Sed praeter hanc rei confirmationem a veteri traditione ductam philosophus etiam alio utitur argumento, quod repetitum est a lege naturae, qua contraria fere inter se reciprocantur, ita ut altera semper in altera transeant atque ex contrario suo orientur. Eandem igitur vult esse mortis atque vitae rationem ideoque inde colligit vitam ex morte existere, ut ne mors quidem vitam auferre iudicanda sit, id quod etiam apagogica argumentatione¹⁾ certius commonstratur. Nimirum tenendum hic quoque est diligentissime sermonem esse de externa tantum animorum fortuna et condicione neque vero de interiore ipsorum natura. Quamobrem quod contraria semper ex contrariis oriri iudicantur, id neque ad ideas neque ad ipsam animi vim referendum est, sed unice pertinet ad res quae habent generationem usu atque experientia notas, sicuti philosophus ipse declaravit²⁾: τότε μὲν γὰρ ἐλέγετο ἐκ τοῦ ἐναντίου πρᾶγμα τὸ ἐναντίον πρᾶγμα γίγνεσθαι, νῦν δὲ ὅτι αὐτὸ τὸ ἐναντίον ἐαυτῷ ἐναντίον οὐκ ἔν ποτε γένοιτο κτλ. Quae verba mire a multis neglecta huic loco lucem affundunt clarissimam. Itaque omnino quidem hoc loco docetur vitae et mortis alternationem, qualem in rerum natura cernamus, neutiquam eam vim habere, ut animis interitum afferat, cum utraque nihil aliud sit nisi variata quaedam vivendi condicio, qua ita fiat, ut animi modo mortalibus inclusi vivant corporibus, modo illis relictis alia utantur fortuna atque statu. In qua quidem sententia illustranda philosophum apparet cum a vulgaribus quibusdam popularis religionis opinionibus tum maxime ab Orphicorum et Pythagoreorum de animorum migrationibus decretis profectum esse, quamquam ista omnia prudenter correxit, emendavit, denique suae ipsius sententiae de animorum natura susceptae accommodavit. Nam illud quidem satis apertum esse arbitramur universae huic argumentationi tamquam fundamenti loco subesse ea, quae philosophus infra demum de sempiterna animorum natura subtilius exposuit.

Sed accedamus iam ad alteram argumentationem, qua animorum aeternitas confirmatur. Docetur enim intellegibilem animorum vitam ita esse comparatam, ut inde eorum sempiternitas satis certe intellegatur. Quippe petitum hoc argumentum³⁾ est ex ortu idearum sive notionum ge-

1) Pag. 72 B — C.

2) Pag. 103 B.

3) Pag. 72 D — 77 A.

neralium menti humanae impressarum ita quidem, ut etiam per se vi et natura sua perpetuo constare existimandae sint. Statuit enim Plato animos humanos veritatis aeternae notitias non in hac demum vita accepisse, sed in hunc mundum secum attulisse. Quem quidem philosophiae locum uberrime persecutus est in Phaedro dialogo, ubi divina animorum vita olim una cum diis immortalibus acta vividis coloribus depingitur; leviter eundem attigit in Menone¹⁾, ubi res rudibus tantum lineamentis informatur, quamquam haec ipsa doctrinae initia in Phaedone quoque respiciuntur. Enimvero profectus est philosophus in hac quoque doctrinae suae parte a Pythagoreis, quos docuisse constat animos ex feliciore vita, qua antea usi essent, in hanc vitam terrestrem esse delapsos atque huic ipsi iam antecessisse aliam superiorem²⁾. Quamquam Plato hanc Pythagoreorum doctrinam mirum quantum mutavit, auxit, emendavit. Adhibuit enim ad eam perficiendam ideas animosque censuit in vita superiore illis spectandis absolutae veritatis compotes factos esse. Idearum autem considerationem non proprie dixit philosophus, quandoquidem nihil aliud illius imagine significavit nisi hoc, animos utpote ex divina mente prognatos iam ipsa natura sua polluisse divinae veritatis pure sincereque cognoscendae vi atque facultate. Itaque ex hac ipsa illorum facultate in Phaedone alterum hoc, de quo agitur, repetitum est immortalitatis argumentum. Colligitur enim ex eo, quod statim inde ab ortu nostro res singulares atque sensibus subiectas ad idearum formas atque species referamus, cum tamen hae sese nusquam in hac vita nobis spectandas praebeant, fieri non posse, quin animi illarum notitias iam in vita superiore acceperint, ex quo efficitur, ut animi ante hanc vitam viguisse putandi sint. Cum vero iam superiore argumento sit demonstratum animos post hanc vitam manere superstites, duabis his argumentationibus denique in unum coniunctis efficitur animorum vim esse sempiternam nec ullo unquam tempore absutum iri. Quocirca hic apparet ex vita animorum intellegibili infinitam ipsorum vim naturamque etiam aliquando certius demonstrari. Nec vero haec ratio, licet ea partibus quibusdam vacillet, singularis acuminis laude destituitur; defenderunt certe similem sententiam etiam Cartesius et Leibniti acutissimi homines, qui ideas statuerunt animis humanis primitus tamquam ingeneratas esse. Itaque hoc si concesserimus, certe etiam concedendum erit, quod inde conclusione efficitur, vim animorum esse aeternam. Quamquam Car-

1) Pag. 81 CD.

2) Quod aperte professus est imprimis Philolaus apud Clement. Strom. III. 518: *μαρτυροῦνται καὶ οἱ παλαιοὶ θεολογοὶ τε καὶ μάντιες, ὡς διὰ τινὰς τιμωρίας ἡ ψυχὴ τῷ σώματι συνέξενται κ. τ. λ.*, de quo pluribus disputavit Lobeckius, Aglaoph. p. 796 sq.

tesii et Leibniti rationem confutare studuit Lockius, sicuti Platonem olim impugnavit Aristoteles, qui uterque ita censuit, ut notiones generaliores rerum usu et experientia oriri et quasi evolvi statuerint nihilque in intellectu esse voluerint, quod non antea fuerit in sensu.

Posteaquam autem ex idearum recordatione, quam nostrates more suo dixerint idearum conscientiam, ostensum est vitam animorum esse perennem adeoque certius apparuit animos perpetuo *φρονήσει* uti, ut isto pacto etiam singularis animis vis ac natura propria atque sua vindicata videatur, etiam substantia eorum in disceptationem vocatur¹⁾. Ducitur enim dehinc tertium immortalitatis argumentum ex indissolubili ipsorum natura. Quippe duplex discrevit Plato rerum genus, alterum simplicium ideoque indissolubile, alterum compositarum ac solubile. Et in simplicium quidem naturarum numero habuit deum atque ideas, quibus adiunxit etiam animos utpote cum illis cognatos et a corpore diversos. In quo magnam sane fecit discessionem a sententia superiorum physicorum, qui animum voluissent esse vel aethereum vel igneum, itemque a Leucippo ac Democrito, quos novimus eum censuisse constare ex atomorum tamquam pulvisculis ac ramentis, ut secundum eorum sententiam nec simplex nec indissolubilis esset²⁾. Nimirum quam isti subinde creparunt immortalitatem, ea non alia re contenta fuit nisi eo, quod in rerum natura nihil penitus interiret, cum rerum elementa perpetuo vel segregarentur vel congregarentur. Ab his igitur longissime discessit Plato, qui cum omnino rerum simplicium genus quoddam statuit, tum etiam animos humanos voluit non esse compositos ideoque plane indissolubiles. Qua tamen in re meminisse iuvabit philosophum alibi imprimisque in Timaeo³⁾ immortalem ac simplicem atque mortalem et dividuam animam distinxisse, duces, ut videtur, secutus Pythagoreos, qui et ipsi illam statuerunt vel rationalem vel animale esse. Etenim partem meliorem illi iudicaverunt esse immortalem, deteriore vero mortalem non quidem ita, ut haec statim post mortem exstingueretur, sed ut exstingui tamen posset et post multos annorum circuitus interiret melioremque partem puram ac sinceram relinqueret⁴⁾. Videtur igitur Plato etiam in Phaedone de una maxime animi parte rationali cogitavisse, etiamsi huius rei disputationem hoc libro vitavit, quippe

1) Cap. XXIV—XXIX, p. 77 D — 80 E.

2) Aristot. De anima I. 2. Diog. Laert. IX. 44. Scriptor De placit. phil. IV. 7. Cic. Tusc. I. 11 et 34.

3) Pag. 69 CD.

4) Iamblich. apud Stob. Eclog. phys. p. 144 sq. Proclus in Tim. p. 311. Wyttenbach, De immortal. animi. (Opusc. sel. ed. Friedemann. II. p. 190.)

quae longiorem atque subtiliorem rerum expositionem requiret, quam quae huius scripti consiliis esset conveniens. Satis enim habuit paucis indicavisse immortalitatem tum locum habere, cum animus a corpore segregatus per se vigeret vi vitali et *φρονήσει* praeditus. Quod autem rerum simplicium et compositarum discrimen posuit, ut inde immortalitatis argumentum repeteret, convenit ipsi hac in re cum Eleaticis imprimisque cum Parmenide, quippe quos primos constat res intellegibiles et adspectabiles inter se opposuisse indeque philosophiae suae duxisse principia. Quae quidem illorum sententia Platoni adeo probata est, ut eam, quamvis magna ex parte mutatam et ex idearum doctrina locupletatam, propemodum omni rationi suae tamquam fundamenti loco subiecerit. Ab illa igitur profectus ratione etiam novum hoc immortalitatis argumentum effinxit, cuius pondus ac momentum haud sane exiguum est. Nam ubi concessum fuerit animum esse ideis similem et cognatum, nulla profecto causa erit, quare non item concedatur, quod inde sequitur, animum esse immortalem neque unquam interituum.

Nec vero ipse Plato huic argumentationi parum tribuit. Id quod ex eo intellegitur, quod ea absoluta Socratem suum continuo facit ita disputantem, ut quid inde ad vitam bene sapienterque degendam consequatur gravi oratione ostendere instituat¹⁾. Quae Socratis praecepta sicuti manifesto rursus ex Pythagoricae doctrinae fontibus ducta sunt, quandoquidem Pythagoram memoriae proditum est docuisse puras animas non amplius in corpora inclusum iri, sed in altissimum locum vel in deorum genus abituras esse²⁾ ideoque lustrationibus earum plurimum tribuisse³⁾, ita quorsum denique habita consilii totius operis ratione referri debeant, nequaquam obscurum est. Valent enim eo, ut Socrates tamquam veri germanique sapientis exemplum proponatur, qui plenus sit spe immortalitatis intimoque pectore sentiat nihil illa vel ad vitam sancte degendam vel ad beatae vitae olim post mortem futurae dignitatem efficiendam esse potentius atque efficacius. Quemadmodum igitur in superioribus animorum immortalitas dialectica subtilitate tribus argumentis demonstrata est, ita hic eadem a salutari vi et efficacia, quam et in vita pure sancteque gerenda et in diviniore vitae beatitudine atque felicitate comparanda habeat, gravissime commendatur.

Sed satis haec de hac parte operis. Licebit nunc ad proximum tamquam fabulae actum⁴⁾ procedere. Est autem haec pars dialogi adornata longe sollertissime. Quod enim in

1) Pag. 81 A — 84 B.

2) Wytttenbach l. l. p. 187—194.

3) Lobeck, *Aglaoph.* p. 248 sq.

4) Pag. 84 C — 88 E.

fabulis scaenicis fieri meminimus, ut saepe rebus omnibus ab initio prospere procedentibus casus quidam inopinati atque insoliti interveniant, quibus animi spectantium praeter spem et exspectionem gravius percellantur et in metum et terrorem coniciantur, usque dum nova rursus fiat rerum omnium mutatio, idem etiam in Phaedone ita institutum est eo loco, de quo nunc exposituri sumus. Cum enim superiore Socratis oratione omnes ad spem immortalitatis erecti essent et sacro quodam exorto silentio ipse vir sapiens meditabundus assideret mente et cogitatione totus in iis defixus, quae modo disputavisset, tum Cebes et Simmias summissa voce inter se colloqui incipiunt, quippe in quorum animis adhuc aliquid scrupuli resederit. Cum autem vereantur dubitationem libere proloqui, Socrates eos ultro exhortatur, ut ne sententiam suam celare velint et amabili cum urbanitate sese mirari ait, quod ab iis cygnis morituris divinandi facultate praeditis deterior habeatur. Nam quemadmodum illi morti proximi utpote Apollini sacri laetum cantum emittere videantur praesensionem quandam rerum futurarum habentes, ita se quoque illorum tamquam socium et pariter Apollinis ministrum veluti aliquem vatem futura laetabundum augurari nec iam velle a vero quaerendo desistere. Praeclara vero vox et homine sapiente dignissima, quae sicuti vitae pie sancteque transactae conscientiam luculente testatur, ita etiam indicat certissimum animi de futura aliqua vita eaque beatiore augurium.

Itaque Simmias et Cebes animadversa viri constantia iam in medium afferunt quae contra superiora dici posse videantur. Nam Simmias quidem animi immortalitatem putat ideo nondum satis esse demonstratam, quia fieri possit, ut animus omnino nihil aliud sit nisi harmonia quaedam ex corporis viribus apte inter se concinentibus oriunda. Quae opinio cum iam illa aetate admodum pervulgata fuisse videatur, tum placuit sine dubio imprimis etiam Pythagoricae disciplinae assectatoribus, qui omnia ad numeros referre consuevissent nec tamen hac in parte cum scholae conditore plane adhuc consentirent, quippe magis ad materialismum, quem vocant, prolapsi eo, quod cum ille animum per se spectatum et ex universa mente divina delibatum ad numeros revocasset, tum hi continuo singulos animos sublata propria ipsorum vi ex singulorum membrorum atque virium corporis concordia ortos esse voluerunt¹⁾. Post Simmiam vero etiam Cebes profert,

1) Quorum in numero quinam praeter Aristoxenum musicum (Cic. *Tusc.* I. 10) habendi sint, in commentariis ad p. 86 B prodidimus, ubi quae exposuimus, ea etiam augere licebit copiis Brandisii, *Handb. d. Gesch. d. Griech.-Röm. Philos.* I. p. 488 sq.

quae Socratis rationi obiici possint. Nam illud quidem arbitratur ultro sane posse concedi animos et olim viguisse, priusquam cum humanis corporibus colligarentur, et aliquamdiu adhuc fore superstites mortuis corporibus, sed inde tamen nondum hoc effici contendit, ut pro immortalibus habendi sint. Quae quidem sententia Cebetis et ipsa nescio quid habet Pythagorici, ut minus recte a nonnullis ad Atomisticos sit relata. Apparet enim arctissime eam cohaerere cum doctrina Pythagoreorum de animorum migrationibus, ex quibus fuerunt qui colligerent tandem ita posse evenire, ut animi vis paullatim tamquam contereretur et absumeretur¹⁾. Quamobrem tam Simmiae quam Cebetis disputatione tangi videntur Pythagorei quidam, qui relicta germana scholae suae sententia quamvis placita illius primaria refinerent, tamen ad materialismum proniores extitissent.

Nec vero istae dubitationes caruerunt vi sua. Narrat enim Phaedo omnes, qui affuerint, animo vehementer fuisse commotos ac perturbatos, quamvis hos sensus suos tum occultaverint; ac fatetur etiam Echebrates, ubi haec ab illo audivit, se quoque iis non mediocriter commoveri, praesertim cum ipse quoque olim in ea fuerit opinione, ut animi vim harmonia quadam contineri iudicaverit. Ex quo liquidum fit etiam in superioribus Pythagoreos significari a Platone. Fuit enim hic Echebrates inter Pythagoreos, quos Plato in Italia inferiore salutaverat et cognoverat. Quocirca scriptor elegantissime hic significavit fuisse tum, cum ipse in magna Graecia versaretur, eiusmodi de animi natura opiniones inter Pythagoreos ibi subinde sparsas ac divulgatas.

Sed hoc quidem veluti in transcurso; redimus ad colloquium. Effectum igitur Simmiae ac Cebetis dubitationibus hoc est, ut de causa Socratis iam plane actum videatur. Verum enim vero cum omnes animum despondeant, tamen ipse Socrates non modo leniter ac benigne adolescentium dubitationes excipit, sed etiam labantes familiarium animos erigere et confirmare instituit. Quin etiam amanter narratur cum Phaedone adolescentiore iuxta ipsum sedente iocatus esse. Nimirum haec quoque egregie ad declarandam sapientis tranquillitatem comparata sunt, qui vel morte appropinquante non perturbatur animo, sed suam sibi constantiam et hilaritatem tuetur, utpote vel maximis dubitationum fluctibus coortis laetissima immortalitatis spe et fiducia sustentatus.

Iam vero his ita expositis rursus sequuntur gravia ac severa Socratis de comparanda sapientia monita atque

1) V. annot. ad pag. 88 A.

praecepta¹⁾, ut facile appareat, priusquam accedatur ad refellendas Simmiae ac Cebetis dubitationes, sicuti universi dialogi descriptio et conformatio tulit, denuo subiungi superioribus adhortationes quasdam ad retinendum sapientiae studium. Et se quidem fatetur, id quod non sine urbana sophistarum cavillatione dicitur, similem iam videri posse contentiosis et pervicacibus istis litigatoribus, qui quidquid statuunt id pertinaciter etiam ab aliis pro vero probari velint, quandoquidem in eo constanter perseveret, ut animos immortales esse existimet. At enim vero se non tam id agere dicit, ut aliis omnibus ita esse persuadeatur, quam hoc potius, ut sibimet ipsi res quam maxime certa et explorata habeatur. Sed hanc quidem ignorantiam non semper duraturam esse, sed fore, ut paullo post evanescat. Mortem scilicet suam prope instantem significat, qua speret sese aliquando ab hac iudicii fluctuatione liberatum iri.

His vero adhortationibus ac praeceptis tamquam imprudentes traducimur ad ea, quae deinceps de immortalitate disseruntur dialectice. Etenim haec omnia cum ex una idearum ratione repetita sint, legentes profecto iis, quae Socrates de rationis in talibus quaestionibus recte utendae necessitate disputat, elegantissime ad ea informantur, quae in postremo immortalitatis argumento diligenter animadvertenda sunt. Sequitur enim dehinc nova quasi fabulae pars, qua tandem id agitur, ut recta ratio tamquam ad summum humanae scientiae et cognitionis fastigium enisa immortalitatis causam obtineat superatisque materialismi et sensualismi, qui hodie vocatur, dubitationibus omnibus victrix evadat.

Orditur igitur Socrates disputationem adversus ea, quae contra ipsius rationem in medium sunt allata ac primum quidem Simmias, qui animum harmonia quadam contineri voluerat, acutissime refellitur tribus argumentationibus²⁾. Nam primum ex vita animorum superiore demonstratur animum non esse posse harmoniam, propterea quod haec ex iis demum rebus oriatur, quae iam ante ipsam extiterint, animus autem corpore iam prius fuerit. Deinde ipsius harmoniae vim et naturam ostenditur eam esse, quae cum animi indole ac virtutibus minime conveniat³⁾. Denique etiam ex mutua animi et corporis coniunctione perspicuum esse monetur animum eumque maxime prudentem in homine dominari atque corporis perturbationibus et cupiditatibus neutiquam semper obsequi, sed saepissime resistere; id quod in animum certe

1) Pag. 89 C — 91 C.

2) Cap. XLI. in. — XLIII. extr., pag. 91 C — 95 A.

3) V. nos ad pag. 92 E.

minime cadat, si harmonia contineatur et nihil aliud nisi quaedam corporis virium intentio aut remissio sit.

Iam vero refutata Simmiae sententia Socrates accedit ad examinandam Cebetis rationem. Revocatur igitur ante omnia in mentem quidnam sit, quod Cebes statuerit¹⁾. Cuius sententia accuratius considerata ille ultro fatetur difficilem sane moveri quaestionem, quippe quae locum illum philosophiae gravissimum, qui sit de ortus et interitus rerum causis, propius attingat. Quo quidem loco educimur paullatim ad summum illud sapientiae Platonicae fastigium, hoc est ad idearum doctrinam, unde Socrates Platonice fatetur se primum intellexisse veritatis scientiam neutiquam posse ex rerum naturalium observatione et notitia sive ex realismo, quem hodie barbare vocare solent, hauriri, sed unice petendam esse ex idearum cognitione sive ex idealismo. Narrat enim Socrates, priusquam ad Cebetis sententiam aggreditur, universe quid sibi in perscrutandis rerum causis et rationibus versanti olim acciderit. Physicorum enim decretis ad veri quaerendum usum traductis brevi ait se intellexisse in rerum natura ad spectabili nihil esse, quod ultimas rerum causas patefaceret, siquidem quae a physicis pro causis allata essent, ea minime vim ac naturam rerum aperirent ac declararent. Deinde cognovisse se sententiam Anaxagorae, qui mentem divinam rebus omnibus praefecerit. Tum vero sese ait speravisse futurum esse sic, ut Clazomenius quaenam optima cuiusque rei causa et ratio videretur subtiliter exquireret, quippe quod unice menti esset conveniens eaque dignum. Sed illum mentem et rationem ad causas rerum declarandas minime adhibuisse, physicas tantum res eo traduxisse, unde optima cuiusque rei ratio non cognosceretur. Quo facto sese dicit rem instituisse aliter, ad unas ideas sese intellexisse hac in causa iudicium esse referendum. Has enim ubi statuerimus per se ac vi sua constare et quaecunque insigniantur illarum nomine non aliam ob causam, quam quia sint illarum participes, ita appellari solere tenuerimus, futurum esse se arbitrari, ut in causis rerum investigandis non rerum externarum animadversioni temere tribuamus omnia et ex rerum effectis atque operibus, quae oculis cernantur, earum vim naturamque aestimemus, sed potius mentis rationibus utamur earumque ope ideas ad rerum iudicium traducamus. Quamquam in harum rerum quaestione eam cautionem adhibendam esse Socrates praecipit, ut et positae sumptiones rite explorentur et si qua altius escendendum sit, id item sic fiat, ut ne principium et consequentia temere misceantur²⁾. Nunc quidem Socra-

1) Pag. 95 A — E.

2) Quae quorsum pertineant et quid significant clarius etiam perspicietur, si comparata fuerint quae de hac parte dialecticae

tes significat se hac sumptione sua acquiescere, qua ideis censeat veram rerum vim naturamque esse contentam, quamquam fieri posse existimat, ut etiam altius aliquando veritatis principium investigetur. Quae ipsa causa est, cur infra amicos et familiares graviter cohortetur, ut de iis, quae ipse exposuerit, amplius quaerant, si forte fieri possit, ut isto modo aliquando etiam ad certiora perveniantur. Quod effatum certe magnopere errarunt si qui eo pertinere iudicaverunt, quod Plato suam ipsius animi dubitationem de argumentorum suorum vi atque auctoritate prodiderit. Finxit enim ille Socratem suum utique eum, qui animum esse immortalem plane persuasum habeat, sed eundem etiam tanta sapientia pollere iussit, ut propter rei magnitudinem et mentis humanae imbecillitatem statuatur in vero quaerendo usque longius procedendum esse, si forte ad evidentiore certiorumque rei gravissimae cognitionem perveniri queat.

Et haec quidem de loci sanequam memorabilis¹⁾ argumento. Quae Socrates hic de philosophiae studiis suis narrat, ea certe dubitari non potest, quin non tam de ipso, quam de Platone idearum doctrinae auctore ac parente intellegenda sint. Quid enim? nonne apertum est narrari quibus quasi gradibus ipse Plato paullatim in sapientiae studio progressus sit, usque dum denique ad idearum doctrinam pervenerit? Nimirum hanc certe omnes consentiunt non Socrati propriam fuisse, qui potius in rimandis exquirendisque meris mentis notionibus substitit, sed uni Platoni acceptam referri. Quocirca Plato, quod in aliis sermonibus suis fecit, ut Socratem suis ipsius partibus ei demandatis iusserit alienam personam sustinere, id etiam in Phaedone imprimisque in hoc dialogi loco secutus est²⁾. Enimvero servavit ea in re etiam legem verisimilitudinis, quandoquidem veri Socratis imago utique lineamenta quaedam habuit, unde talis ipsius species denique effingeretur, qualem in Phaedone deformatam videmus. Nam primum quidem Socratem perquam est verisimile adolescentem atque virum, priusquam sapientiam de coelo in terram devocaret, etiam physicis dedisse operam, non quo ea continuo

exposita leguntur in Soph. p. 253 B sq. et p. 259. De Rep. VII. p. 533 C, ubi inter alia haec perscripta sunt: *Ὅνοῦν ἡ διαλεκτικὴ μέθοδος μόνη ταύτη πορεύεται, τὰς ὑποθέσεις* (i. e. principia, quae tamquam vera ponuntur, sumptiones pro principiis positae; vere enim auctor definit p. 415 D: *ὑπόθεσις ἀρχὴ ἀναπόδεικτος ἀναγοῦσα* (sursum evehens) *ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀρχὴν, ἵνα βεβαιώσῃται, καὶ τῷ ὄντι ἐν βροβόρῳ βαρβαρικῷ τινι τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορθωγμένον ἡρέμα ἔλκει καὶ ἀνάγει ἄνω.*

1) Pag. 95 E — 106 E.

2) De hac re aliter visum est Boeckhio, Ind. lection. Berol. 1838. et nuper Krischio, Die theol. Lehren der Griech. Denker, Göttingen 1840. p. 210.

probaret, sed ut eorum notitiam adipisceretur¹⁾. Quid quod adeo Anaxagorae placita videtur accuratius cognita habuisse, ad quae Plato sese sub eius persona narrat, posteaquam aliorum sapientiam frustra degustavisset, propius accessisse²⁾? Praeterea vero etiam is fuit, cui adeo doctrina idearum cum quadam verisimilitudinis specie attribui posset. Constat enim Socratem in disserendo ita versatum esse, ut communes rerum notiones diligentius exquireret in eaque re etiam peculiarem poneret operam. Itaque revera proxime accessit ad ideas, nisi quod hae nequam sunt merae mentis humanae notiones, sed species mentis aeternae vim rerum omnium in se continentes. Quocirca nobis quidem minime dubium videtur, quin Plato toto hoc loco Socratem iusserit ea narrare, quae cum verisimiliter ad hunc referri possent, tamen revera de se ipso essent accipienda³⁾. Spectant enim omnia denique ad idearum doctrinam dialecticaeque usum inde suspensum habentque id propositum, ut quanto haec doctrina physicorum rationi esset anteposenda, vel eo constet, quod cum omnino rerum causae exinde optime declarari, tum immortalitatis spes firmissime communiri possit.

Sed revertimur ad ipsum Platonem. Artificiosissime vero ille sententia de ideis illustrata non modo Simmiam et Cebetem finxit huic rationi adstipulantes, sed etiam Phaedonem et Eche- cratem, qui antea et ipsi horum dubitationibus fuissent vehementer perturbati. Nimirum ita indicatur easdem illas dubitationes, quae vi et gravitate sua audientium pariter atque confabulantium animos antea maxime perculissent, nunc rursus ita esse remotas, ut omnes de immortalitate optimam spem animis conceperint.

1) Id probabiliter concludas e Xen. Mem. I. 6, 14, ubi ille narratur etiam veterum sapientium libros cum amicis sedulo pervolutasse, item ex iis, quae ibidem I. 1, 14 memoriae prodita sunt, luculenter intellegitur ipsum harum rerum non imperitum fuisse, quod etiam ex Plat. Apol. p. 26 D conici potest.

2) Id vel ex eo fit verisimile, quod apud Platonem in Apologia, hoc est in eo libro, qui plane ipsius vitae veritati convenienter scriptus est, p. 26 DE de Anaxagorae libris ita loquitur, ut eorum argumenta novisse videatur. Deinde etiam apud Xen. Mem. IV. 7, 6 Anaxagoram tam acriter corripit, ut id nullo pacto fieri potuisse videtur, nisi rationem viri ac doctrinam omnem perspectam habuisset, atque adeo eadem fere in illo reprehendit, quae apud Platonem ridentur, quandoquidem philosophus Clazomenius dicitur μέγιστον φρονῆσαι ἐπὶ τῷ τὰς τῶν θεῶν μηχανὰς ἐξηγεῖσθαι.

3) [Fr. Ueberweg, Untersuchungen über d. Echtheit u. Zeitfolge Platonischer Schriften, pag. 92—94 hanc narrationem ad unum Socratem referendam esse vult. Ei adversatur Fr. Susemihl, Platonische Forschungen. IV. Spricht Pl. im Phaed. p. 95 sq. von seiner eigenen Entwicklungsgeschichte? Philolog. 20. Jahrg. pag. 226—237, ubi eandem fere sententiam profert, quam Stallbaum, licet eam aliter defendat.

Atque his ita expositis tandem acceditur ad ultimum immortalitatis argumentum¹⁾, quod superiore sermone tamquam praeparatum est. Ducitur igitur illud ex idea vitae animo propria ita quidem, ut argumentatio secundum principium contradictionis tum rectae tum obliquae, quod hodie dialectici appellant, instituatur. Probatur enim animus ideo esse immortalem atque omnis interitus expertem, quia τὸ εἶδος ipsius, hoc est ipsa animi vis et natura per se considerata ideam vitae in se inclusam teneat, quandoquidem omnia sint vi idearum id ipsum, quod sint. Quam quidem disputationem ut plane intellegamus, meminisse iuvabit Platonem ideas suas non voluisse meras esse mentis notiones, sed species rerum absolutas omnem earum vim aeternam in se continentes et natura quidem sua constantes et immutabiles, sed easdem cum inter se tum cum rebus adspectabilibus eadem necessitudine coniunctas, qua notiones generum et formarum menti humanae inditae inter se coniunctae sunt. Enimvero spectavit ille ideas et λογικῶς et μεταφυσικῶς, quandoquidem Socraticam mentis notionum explorationem cum ente Eleaticorum et rigidis immotisque Megaricorum ideis scite in unum coniunxit. Quam doctrinae partem subtiliter illustravit in Sophista, Politico et Parmenide, qui libri sine ulla controversia existimandi sunt iam ante Phaedonem litteris consignati esse.

Argumentatio autem, qua nunc immortalitas animorum confirmatur, nostrorum morem ubi sequimur, huc fere redit. Notiones contradictorie oppositae sese invicem excludunt. Iam vero vita et mors habent oppositionem contradictoriam. Ergo vita et mors sese excludunt invicem. Quod tamen secundum Platonis rationem ita est intellegendum, ut vitae et mortis notiones pro ideis h. e. naturis vera essentia praeditis accipiantur. Huic vero ratiocinationi adiungitur continuo altera eaque haec: Etiam formae (species vulgo appellant) generi alicui, quod habet contradictoriam oppositionem, subiectae non ferunt vel suscipiunt generis sui ideam contrariam h. e. formae sive species notionum generalium non recipiunt notas suis generibus contrarias. Iam vero animi notio subiecta est notioni sive ideae vitae, quandoquidem illa sine hac cogitari non potest h. e. quia animus est vita, ita ut illi vita praedicati loco attribuenda sit. Sequitur igitur, ut animus mortis notionem (vim et naturam) prorsus excludat. His vero ita conclusis adduntur denique, quae ad absolvendam argumentationem vel verborum causa visa sunt necessaria. Ostenditur enim acutis conclusiunculis per soritem accumulatis primum quidem animum utpote mortis expertem item esse immortalem

1) Cap. L—LVI., pag. 102 A — 107 B.

(ἀθάνατον), quemadmodum id, quod ideam paris non recipiat, impar dicatur. Deinde concluditur hoc, animum omnino interitus esse expertem (ἀνώλεσθρον), quandoquidem, si quidquam aliud, certe illud, quod immortale ac sempiternum habeatur, dissolutione et interitu liberum putari oporteat, id quod dei et ideae vitae commemoratione confirmatur. His vero ita exploratis concluditur appropinquante morte mortalem quidem hominis partem interire, sed partem eius immortalem interitu immunem manere ideoque perpetuo esse duraturam.

Haec igitur Socrates de ultimo immortalitatis animorum argumento. Cuius quidem explicatione philosophus tandem rem eo provexit, ut iam ad summum culmen ac fastigium omnis philosophiae educti videamur. Probavit enim firmavitque fidem immortalitatis etiam ex ultimis rerum principiis vel ideis, quibus ipsius iudicio nihil est in philosophia gravius aut celsius eamque rationem suam, qua hinc potissimum in ea re demonstranda profectus est, dixit ὑπόθεσιν, propterea quod eam principii loco posuit. Tribuit autem Plato huic postremo argumento sanequam plurimum. Id quod clarissime ex eo perspicitur, quod illud non modo ultimo loco posuit, verum etiam tale voluit esse, cuius vi et gravitate omnes dubitationes et controversiae de immortalitate excitatae plane summoventur. Nec profecto quisquam recte infitias iverit pondus eius atque momentum ad litem dirimendam utique esse gravissimum, ut non temere hinc etiam Augustinus¹⁾ profecerit, cuius cum disputatione conferri poterit etiam locus Ciceronis e Phaedro expressus²⁾. Nam ubi Platoni concesseris, quod ex doctrinae suae ratione statuit, ideas revera esse iisque contineri eius quod per se constet vim ac naturam ac praeterea largitus fueris animum necessario vitam sibi adiunctam habere eiusque participatione carere non posse, certe vix reperies quod in summi philosophi argumentatione moleste feras, nisi forte illud ipsum reprehenderis, quod animum vitae esse participem sumserit potius arbitrio sub, quam idoneis demonstraverit rationibus. At nimirum videtur philosophus hoc ideo posuisse, quia rem ita se habere tum ex superioribus immortalitatis argumentis intellegi licuit, tum abunde demonstratum est in Phaedro³⁾, quem dialogum non ita multo ante Phaedonem in vulgus editum esse perquam est verisimile. Quod vero Strato⁴⁾, Gottleberus⁵⁾, Tenne-

1) De immort. anim. § 14 sq.

2) Tusc. I. 23.

3) Pag. 245 A sq. Eiusdem rei demonstrationem etiam postea subtiliter instituit in Lg. X. p. 895 E, 896 A.

4) Apud Olympiod. p. 150 ed. Finckh.

5) Animadvers. in Phaed. p. 196.

mannus¹⁾, Wiggersius²⁾, Tiedemannus³⁾, A. Schmidtius⁴⁾, Kuhnhardtus⁵⁾ aliique contenderunt, ex eo, quod animum vitae sit particeps, hoc unum tantummodo sequi, eum manere quamdiu animus sit, subiecto autem quod vulgo dialectici vocant sublato etiam praedicatum tolli, ut petitio principii admissa videatur, non viderunt viri acutissimi Platonem omnino vim et naturam animi eam esse voluisse, quae vitae ideam necessitate quadam secum coniunctam haberet, ut ea nec ab animo ullo modo divelli posset, id quod vel propter Graecum vocabulum ψυχή ita statuisse existimandus est. Quamquam facile largimur ista omnia, ubi ad leges philosophiae recentioris fuerint examinata subtilius, vix cuiquam omni ex parte probatum iri.

Perfecit igitur Socrates, sicuti vidimus, denique hoc, ut iis, qui ipsum audiverunt, plane de immortalitate animorum persuasum sit. Assentiuntur enim ei etiam Simmias atque Cebes, ut certamen de re primaria plane videatur ad exitum esse perductum. Quamquam significat philosophus fieri fortasse posse, ut etiam altius quoddam atque superius principium doctrinae de immortalitate, quam idearum sit ratio, investigetur. Quod tamen quale esse suspicatus sit, non constat, quandoquidem nec in libris posteriore tempore scriptis, alius generis argumenta immortalitatis expromsit, quam qualia in Phaedone leguntur exposita. Nihilominus autem etiam illud professus est in praesenti quidem certe meliorem immortalitatis probandae viam ac rationem sibi non videri suppetere omninoque in hac causa mentis et rationis usui omnia tribui oportere. Ac profecto tantum Plato his disputationibus suis profligavit, ut, etiamsi rem difficillimam non ad certae et exploratae evidentiae persuasionem adduxerit, id quod sane in tanta rationis humanae infirmitate nunquam poterit fieri, tamen ceteris omnibus, qui eundem postea locum tractaverunt, tamquam facem antetulerit, siquidem quaestionem gravissimam ex fabularum et opinionum tenebris in scientiae lucem eduxit atque rationis ope dilucidare conatus est.

Iam vero, quod in superioribus fieri meminimus, ut post immortalitatis argumenta postremo graves quaedam cohortatio-

1) Gesch. d. Philos. II. p. 464. System d. Plat. Philos. III. p. 117.

2) Examen argument. Plat. pro immortalitate animi humani. Rostoch. 1803. pag. 24.

3) Dialog. Platon. Argument. p. 35 sq.

4) Ueber die Ideen des Plato u. die darauf beruhende Unsterblichkeitslehre desselben. Progr. Gymnas. Quedlinburg. 1835. p. 21.

5) Plat. Phaed. mit besonderer Rücksicht auf die Unsterblichkeitslehre erläutert u. beurtheilt. Lübeck 1817. pag. 67.

nes subiungerentur, unde quanti aestimanda esset spes immortalitatis ad vitam pie sancteque agendam, certius intellexeretur, idem etiam hoc loco ita institutum est. Ubi igitur denuo pauca de animo ad immortalitatem diligenter conformando disseruit¹⁾, continuo docere instituit manere olim suam quemque fortunam, beatam illam aut miseram futuram, prouti quis in hac vita terrestri virtutis ac sapientiae studiosus fuerit. Quae quidem sententia quod fabulosa futurae vitae descriptione declaratur, id nemo profecto mirabitur. Est enim philosopho mythus nihil aliud nisi ad spectabilis quaedam ideae alicuius repraesentatio ad similitudinem religiosarum fabularum et similibus traditionum composita vel augustior quaedam atque sanctior descriptio fabularis status et condicionis alicuius propter ideam aliquam, veluti immortalitatis, in ipsa rerum veritate verisimiliter locum obtinentis, ita ut in illo ideae atque naturae quasi quaedam coniunctio cernatur atque philosophiae tamquam poesis sit conspicua. Ex quo ipso nullo certe negotio intellegitur, quamnam ob causam philosophus in eiusmodi philosophiae locis illustrandis mythorum figmentis utendum esse putaverit. Nam primum quidem facile animadvertit eiusmodi statum et ordinem rerum, quamvis cum ideis coniunctissimum, tamen item naturae phaenomenis et rebus in facto positis plane esse consimilem, ut non tam dialectice explorari et iudicari, quam describendo explanari posset. Deinde mythos eiusmodi etiam ideo censuit esse talibus in locis usurpandos, quia, quae essent ibi exponenda, ea sub involucris illorum non modo ut verisimilia, verum etiam ut augustiora et sancte reverenda ob oculos poni liceret. Etenim speciem religiosae cuiusdam sanctitatis philosophus illis tanto rectius attribuit, quod revera omnis ipsius sapientia fuit religiosa quodque statum aliquem rerum propter ideam quampiam positum cum religiosa fide coniunctum esse oportere arbitratus est²⁾. Itaque Plato etiam in Phaedone cum aliis locis religiosas fabulas usurpavit, tum imprimis hic quoque mythum artificiosissime ex variis popularis religionis opinionibus, ex antiquae sapientiae traditionibus, e poetarum commentis, denique e physicorum superiorum decretis cum sua ipsius ratione consociatis conflatum ad rem praesentem adhibuit, ut futuro animorum statu et condicione ad verisimilitudinis speciem descripto grandi quadam et religiosa imagine declararet, quod ipsi penitus fuit persuasum haud dubie olim ita esse

1) Pag. 107 C.

2) De hoc argumento breviter quidem, sed luculente disseruit Fr. Astius, Platon's Leben u. Schriften. p. 165. [Cf. Stallbaumii Proleg. ad Phaedr. p. CXXXV sq., annot. ad Reip. l. X. p. 614 B.]

futurum, ut quisque iustam consiliorum factorumque suorum mercedem accipiat idque certo quodam factorum ordine eventurum. Etenim nequaquam ipse omnia atque singula, quae ad futurum istum rerum statum pertineant, aut accuratius explorari aut certo describi posse existimavit. De qua re Socratem fecit ita iudicantem¹⁾: „Statum vero animorum post mortem revera eo modo se habere, quo ego narraui, id non decet certo affirmare et contendere sanae mentis hominem; eum autem esse debere vel talem vel similem, quandoquidem animi nostri immortales sunt, hoc decet et affirmare et huic persuasioni fidere.“ Quocirca in his speciem probabilitatis ex idea immortalitatis oriundae secutus est, ut opinionem sive *δόξαν* sectatus sit, si fieri posset, ut quid verum esset, tamquam *θεία μοίρα* et felici quodam mentis augurio assequeretur.

Constat autem tota fabula tribus partibus primariis, deductione animorum in Orcum²⁾, terrae eiusque partium tum supernarum tum infernarum adumbratione³⁾, denique descriptione variae fortunae et condicionis, quam animi mortuorum pro varietate studiorum suorum olim subituri sint⁴⁾.

Itaque ad primam fabulae partem exornandam nos quidem non dubitandum putamus, quin philosophus adhibuerit quae ipsi vel popularis religionis opiniones vel Orphicorum de his rebus placita subministrarent. Nam de iudicio atque iudicibus inferorum pervulgata fuit superstitio et populari etiam religione consecrata⁵⁾. Descensum autem ad inferos cognatum illum etiam cum animarum deductione vulgo per Mercurium fieri credita accuratius ab Orphicis fuisse descriptum, tanto minus dubitari licet, quo arctius ea res cum lustrationibus atque initiis, quae illi crepabant, coniuncta fuit. De qua re certius aliquanto constaret, si carminis, quod inscriptum fuit *κατάβασις εἰς ᾗδου*, Prodico cuidam Samio a Clemente, Herodico autem Perinthio a Suida tributi superessent reliquiae. De quo carmine Lobeckius⁶⁾ ita exposuit, ut ipsius Orphei descensum ad inferos in eo descriptum fuisse verisimillimum iudicari oporteat. Fuerunt autem Orphici omnino, ut mox videbimus, de

1) Pag. 114 D ibique annot.

2) Pag. 107 D — 108 D.

3) Pag. 108 D — 113 D.

4) Pag. 113 D — 114 C.

5) V. annot. ad Gorg. 523 E.

6) Aglaoph. p. 373.

rebus inferis multi. Quocirca Plato quod diligentius de viis in Orcum ducentibus disputat, reprehendo etiam Aeschylō, id videtur ideo fecisse, ut sese in causa adeo sacra ad Orphicorum disciplinam et rationem composuisse videretur. His vero quae adiunxit de variis animorum illuc discedentium affectibus atque motibus ea ipse doctrinae suae convenienter finxisse existimandus est, quamquam fieri potest, ut etiam hac in parte singula quaedam superioris aetatis vatibus atque poetis accepta referat.

Iam vero descensu animorum in loca inferorum descripto philosophus etiam descriptionem terrae exhibet eamque futurae animorum fortunae, qualis ab ipso informatā est, solenter accommodatam. Discernuntur enim tres terrae regiones, ex quibus nos mediam incolamus, superiorem aetheri vicinam et mire pulcrā pii aliquando inhabitaturi sint, inferior denique eaque tristis et horrida impiorum manibus sit destinata. Quae quidem regiones utique tam prolixē et copiose describuntur, ut philosophum facile putes primarii consilii sui immemorem intempestive hic indulsisse ingenii lusibus. At enim vero cavendum est magnopere, ne eum temere accusemus inertiae. Nam primum quidem ille sine dubio hoc spectavit descriptione sua, ut quam illustrissima exhiberetur poenarum et praemiorum, quae mortuos manerent, imago eoque modo cogitatio divinae iustitiae etiam futuro tempore regnaturae legentium animis quam firmissime infingeretur. Ad quod certe nihil potuit fingi aut cogitari efficacius, quam universae terrae imago et pictura praemiis et poenis mortuorum prorsus conveniens. Deinde etiam omnem doctrinam de futura hominum vita deque sorte post mortem exspectanda probabiliorē habitum iri iudicavit, si vel naturam universae terrae ipsi convenire intellegeretur. Quemadmodum igitur in Phaedro, quo loco divinam animorum vitam descripsit, etiam totius fere rerum universitatis imaginem exhibuit, unde vel adspectabilem rerum naturam diviniore vitae opinioni respondere appareret, ita etiam in Phaedone cum futuri animorum status descriptione universae terrae imaginem et quasi picturam eam proposuit, quae ad illius rationes declarandas aptissima esse videretur. In quo ipso tamen, nisi fallor, etiam illud spectavit, ut, licet non pauca arbitrato suo finxerit, tamen data opportunitate simul ostenderit, quaenam physicorum superiorum de terra atque universo mundo opiniones sibi praeter ceteras maxime probarentur. Denique etiam hac in re imitatus esse videtur Orphicos omninoque priscos sapientes, qui, ut religiosae sapientiae succurrerent piosque sensus in animis hominum excitarent, imaginibus et picturis talibus usi sunt, quarum augusta specie mentes facilius caperentur captaeque tenerentur. Nam Orpheum quidem diligentius de rebus inferis

exposuisse luculente testatur Iulianus¹⁾. Quin tota Orci et locorum inferorum descriptio a Diodoro Siculo²⁾ sacerdotum Aegyptiorum auctoritate ad Orpheum refertur auctorem³⁾. De imaginibus autem in mysteriis ob oculos positis et ad veri divinandi augurandique rationem comparatis omnia nunc prope in vulgus nota sunt.

Sed satis haec universe; videamus de singulis. Et in terrae inferae quidem descriptione haud scimus an Plato nonnulla saltem aut ab Orphicis mutua sumserit, aut ad eorum rationem adornaverit. In ceteris autem descriptionis suae partibus physicorum et Pythagoricorum placita promiscue ad rem suam traduxisse videtur. Ita quod terram rotundam in medio mundo locavit eamque ab omni sua parte versus centrum suum vergentem fecit, in posteriore sententiae parte secutus est Anaximandrum⁴⁾, in priore opinione etiam duces habuit Pythagoreos, quos terram globosam esse voluisse constat⁵⁾. Et probavit Plato sententiam de terra in media rerum universitate posita cum in Timaeo⁶⁾, tum etiam in Phaedro⁷⁾, ut illam omnino suam fecisse existimandus sit. Iam vero quod terram finxit supernam, coelestibus regionibus propinquam, quam unam veram et germanam terram esse dicitur, etiamsi hoc non aliam ob causam fecerit, quam ut locum haberet, ubi piis animis suum domicilium assignaret, tamen ne hac quidem in re caruit testimoniorum auctoritate, quae sententiae suae vel fidem faceret vel verisimilitudinis speciem conciliaret. Nam primum quidem ista terrae superioris fictio cognata est vulgaribus de Olympo, coelesti deorum sede, opinionibus, unde certe ipsa quoque speciosa existit. Deinde iam Anaxagoras⁸⁾ similem quandam superioris terrae informaverat imaginem, ut Plato etiam physicorum doctrina niti videatur. Ornatum autem reliquum picturae perquam vividae et illustris etsi non constat, unde philosophus repetiverit, praeterquam quod superioris terrae faciem cum pila duodecim laterum verisimiliter secundum Pythagoreos contendit, qui primariam aetheris formam dodecaedro comparavissent⁹⁾, tamen quid rei sit ad coniciendum non adeo est difficile. Quippe exornavit

1) Orat. VII. p. 216: καὶ Πλάτων πολλὰ μὲν θολοῦνται περὶ τῶν ἐν ᾧ δου πραγμάτων θεολογοῦντι καὶ πρό γε τούτου τῶ τῆς Καλλιόπης h. e. Orpheo.

2) I, 96.

3) Lobeck, Aglaoph. p. 811.

4) Arist. De coelo II, 13.

5) Diog. Laert. VIII, 48.

6) Pag. 40 B.

7) Hoc demonstrasse videtur in Diatribe de mytho Phaetri

Plat. p. 34 sq.

8) Simplic. Comment. ad Arist. Phys. p. 33 B, 34 A.

9) Tim. p. 55 C.

haec philosophus sollertissima opera sic, ut cum partim ad aetatis aureae similitudinem comparata sint, tum speciem physicae sapientiae plane insignem prae se ferant, quamquam ab ipso revera eo consilio sunt inventa, ut quanto intervallo terrestri vitae condicio, cuius imperfectio breviter describitur¹⁾, a rerum coelestium praestantia distet quamque divina humanis antecellant splendida aliqua imagine declaretur. Nempe ita simul et magnitudo futurae beatitudinis vividissimis coloribus depingitur et mortalibus id agendum esse significatur, ut ex huius vitae caligine ac miseria perpetuo ad divinae vitae lucem ac beatitatem eluctentur.

Sed his ita expositis etiam ad loca infera descendamus, quorum descriptio²⁾ ita exhibetur, ut simul mediae terrae, quam incolunt homines, ducatur ratio. Et terra quidem media quod cavernosa dicitur esse multosque habere meatus, simile quiddam etiam Anaxagoras docuit³⁾. Hinc vero repetitur ratio tum Tartari, qui est ingens hiatus mediae terrae inclusus, tum fluviorum inferorum in illum et influentium et rursus effluentium. Cuius influxus et refluxus causae ex ipsius terrae rationibus physicis declarantur, quae videntur libramento terrae antea ex Anaximandri ratione explicato contineri. Et horum quidem fluviorum descriptio etsi primo aspectu Homerica et Hesiodica est, tamen arctiorem etiam necessitudinem habere videtur cum placitis Orphicorum, qui propter lustrationes et expiationes, quas statuissent, imprimis etiam in describendis fluminibus infernalibus sedulam operam posuisse videntur. Quamobrem etsi Plato iudice Proclo⁴⁾ ab Homero accepit, quae de fluentis infernalibus exposuit, tamen non neglegendus Olympiodorus est, qui ea fontem habere Orphicum scribit⁵⁾. Quamquam videri potest etiam physica quaedam placita hic ob oculos habuisse, sicuti ea, quae de Pyriphlegethonte exposuit, verisimile reddunt. Sed quidquid rei est, illud quidem certe apertum fore arbitramur omnibus, quorsum denique longa ista atque copiosa de rebus inferis narratio referatur. Quemadmodum enim superae terrae descriptione declaratum est mortalibus nihil esse debere antiquius quam ut e vitae terrestri tenebris ad vitae immortalis lucem enitantur, ita terrae inferae pictura eo valet, ut quanta post mortem futura sit hominum impiorum ac sceleratorum miseria et infelicitas vel exinde perspiciatur, quod locorum inferorum facies unicuique ipsam contemplanti horrorem incutiat, ut ipsa

1) Pag. 109 E, 110 A.

2) Pag. 111 C — 113 D.

3) Schaubach, De Anaxag. Clazom. p. 176 sqq.

4) In Remp. p. 396.

5) Lobeck, Aglaoph. p. 812.

quoque rerum natura a vitiis ac sceleribus deterrere posse videatur.

Iam vero sequitur descriptio poenarum ac praemiorum, quae mortuorum manibus constituuntur. Quae quam callide attemperata sit vulgaribus de rebus inferis populi opinionibus, vix monere attinet. Quamquam suspicari licet hic quoque reperiri, quae ad similitudinem eorum composita sint, quae in mysteriis Orphicis sive tradebantur sive agebantur. Nam Orphica constat maxime fuisse expiatoria atque id habuisse propositum, ut lustrationum vi et beneficio poenae aboleri iisque, qui ab iis liberati essent, etiam post mortem beatioris sortis gaudia vindicata esse crederentur¹⁾. Verum de his cum ne apud Olympiodorum quidem quidquam litteris perscriptum exstet, mera coniectura acquiescere cogimur.

Satius igitur erit nonnulla in his notavisse quae certiora sint et singulari animadversione non indigna. Et primum quidem illud est memorabile, quod Plato eos animos, qui plane sint insanabiles, aeternis poenis cruciari vult²⁾. Quo nomine philosophum exagitat Arnobius³⁾, animos immortales negans talibus poenis esse posse obnoxios: „*Quid? inquit, Plato idem vester in eo volumine, quod de animae immortalitate composuit, non Acherontem, non Stygem, non Cocytum fluvios et Pyriphlegethontem nominat, in quibus animas asseverat volvi, mergi, exuri? Et homo prudentiae non parvae et examinis iudiciiue perpensi rem inenodabilem suscipit, ut, cum animas dicit immortales, perpetuas et corporali soliditate privatas, puniri eas dicat tamen et doloribus afficiat sensuum. Quis autem hominum non videt, quod sit immortale, quod simplex, nullum posse dolorem admittere? quod autem sentiat dolorem, immortalitatem habere non posse?*“ Nimirum bonus Arnobius primum quidem non vidit secundum Platonem animos mortuorum ob id ipsum affici suppliciis, quod non puri a corporis labe ad inferorum iudicium pervenerint, ut eius sententia vel inter eos, qui in piorum domicilia migrare iubeantur, uni verorum philosophorum animi sine corporibus illic vivant, deinde omnino universae narrationis fabulosae sententiam parum subtiliter videtur examinavisse.

Verum satis de his. Pergimus ad aliud quid, quod diligentiore animadversione non indignum videtur. Censet enim philosophus unos philosophorum animos per omne tempus sine corporibus vivere. Quod quomodo intellegendum

1) Lobeck, Aglaoph. p. 642 sq. 806 sq. coll. Plat. Rep. II. p. 363 C — 364 C.

2) Eandem sententiam proposuit etiam in Gorg. 526 B et Rep. X. p. 614 C sq. iuxta cum aliis, qui *πενίτιας* scripserunt, ut Aeschin. Socrat. qui vocatur in Axiocho p. 371 sq.

3) Advers. Gentes II. c. 14. p. 57, c. 30. p. 70. ed. Orell.

sit, nuper valde dubitatum est¹⁾. At enim vero res videtur non adeo inextricabilis esse, dummodo meminerimus Platonem animum in tres partes divisisse, τὸ λογιστικόν, τὸ θυμικόν et τὸ ἐπιθυμητικόν, sicuti iam in Phaedro fecit. Itaque unos philosophorum animos censuit plane a corporis labe immunes fieri, quae τῷ θυμικῷ et τῷ ἐπιθυμητικῷ utique adhaereat, ita ut diis fiant quam simillimi ideoque etiam in celsioribus regionibus habitent. Quod plane convenit cum iis, quae in Phaedro de coelesti animorum itinere narrantur, in quo alii eorum ratione duce deorum currus facilius consequuntur, alii propter equum ferociorem h. e. propter vim τοῦ ἐπιθυμητικοῦ longius retardantur ac denique fatiscunt. Nec vero in eo haerendum, quod his ipsis animis etiam certa tribuuntur domicilia. Apparet enim sponte id non proprio sensu accipi oportere, sed allegorice dictum esse. Designatur enim vita animi plane libera et in se absoluta nullisque amplius tacta mortalis concretionis malis.

Verum his utcumque explicatis aliud dilucidasse iuvabit. Quod enim philosophus scripsit eos, qui omni corpore vacui vivant, animos in pulciores adhuc venire sedes, quam quales terra supera habeat, quamquam eas describere nunc nec vacet nec lubeat²⁾, id haud scimus an ad Phaedrum dialogum referendum sit. Nam multum profecto a recto aberraverunt, qui picturam universi fabularem, qualis in illo libro exhibetur, cum imagine rei in Phaedone proposita vix conciliari posse iudicaverunt. Enimvero significavit Plato hoc Phaedonis loco philosophorum animos etiam diviniore illius vitae fieri posse participes, quae in Phaedro iis animis obtingere indicatur, qui Iovem duces in coelesti itinere felici cursu consecuti sint. Quod si ita est, certe philosophus non obscure indicavit qua necessitudine mythi in utroque libro enarrati inter se contineantur.

Socrates istis omnibus enarratis denique paucas quasdam admonitiones subiungit³⁾, quae quorsum pertineant sponte intellegitur.

Exposuimus igitur etiam de hac parte dialogi fabulosa sic, ut iam de eius sententia videatur facilius esse iudicium. Videmur autem nunc tanto confidentius asseverare posse nihil fere reperiri, quod peculiariter ad imaginem sapientis in aeternae veritatis meditatione defixi atque philosophi germani more moribundi sive informandam sive consummandam pertineat. Quod enim docetur benefactis praemia et malefactis poenas esse con-

stitutitas, quid tandem cum veritatis cognoscendae studio commune habet, cum Plato ipse virtutem potissimum, non unam idearum cognitionem hac in re spectandam esse arbitretur? Multo aliter vero res se habet, ubi de immortalitate animorum agi meminerimus. Apparet enim posteriorem hanc sermonis partem eo pertinere, ut quid ex fide immortalitatis de futuris animorum fati consequatur vulgaribus religionibus accommodate ostendatur. Quemadmodum vero opinio atque spes immortalitatis id efficit, ut esse aliquod tempus credamus, quo divina iustitia bonis bene et malis male esse iubeat, ita vicissim etiam haec animi persuasio plurimum valet ad fidem immortalitatis confirmandam.

Et haec quidem de iis operis partibus, quae pertinent ad quaestionem de immortalitatis argumentis. Reliquum est, ut paucis explicandum sit de epilogo libri, qui propius spectat ad ipsum Socratem. Is vero duplex est, prouti ipsa dialogi forma tulit. Nam primum quidem exitus Socratis ex hac vita narratur, deinde autem Phaedo amicis Phlasiis paucis quidem, sed iisdem gravissimis verbis quanta fuerit in Socrate virtutis dignitas et excellentia ostendit.

Et exitus quidem Socratis si quaeritur qua ratione descriptus sit, nullo fere negotio intellegitur hoc quoque loco omnia accommodate ad spem immortalitatis esse exposita nulla plane significatione celsioris rerum cognitionis facta, ut hinc quoque apertum fiat Platoni doctrinam immortalitatis non eandem esse atque cognitionis absolutae rationem. Etenim Socrates non iam ideas commentatur, sicuti supra faciebat, quo loco de coniunctione scientiae philosophorum cum immortalitate disserebat, non iam cogitat de diviniore cognitionis rationibus, quae aliis opportunitatibus ipsi apud Platonem videntur sedula cura praecipue dignae esse, non denique defixus est in gravibus meditationibus, quae veritatis plenius sinceriusque cognoscendae studium arguant, imo pectus hic nobis ostentat iis plenum sensibus, qui a certa et indubia spe immortalitatis coniuncta illa cum vitae pure sancteque exactae recordatione proficiscuntur. Socrates autem, postquam immortalitatem animorum acute graviterque argumentis confirmavit, iam eandem etiam ipso obitu suo testatam facit. Enimvero animadvertentes viri constantiam, fortitudinem, animi aequabilitatem et magnitudinem, denique religiosam pietatem, certe adeo commovemur animo, ut, sicuti haec omnia a certa animi persuasionem de huius vitae terrestri cum vita immortali coniunctione originem habere suam existimamus, ita etiam eo perducamur, ut laeti fidentesque credamus animos nostros etiam post mortem fore superstites. Tale enim virtutis exemplum in hac causa ad commovendum animum plus

1) Ritter, Gesch. d. Philos. II. p. 427 sq., Susemihl, Prodröm. p. 19, Genet. Entwickl. d. plat. Philos. I. p. 461, Steinhart, Einleitung zum Phaed. p. 455.

2) Pag. 114 C.

3) Pag. 114 DE.

valet quam mentis ratiocinationes omnes quamvis subtilissime excogitatae.

Atque eodem valet etiam praeconium Phaedonis, quod in altera epilogi parte *δραματικῶς* subiunctum videmus. Vir enim sapientissimus et cognitione veritatis et studio virtutis adeo dicitur excelluisse, ut non modo, si cum aequalibus suis comparetur, longe praestantissimus iudicari debeat, sed etiam, si per se spectetur, sapientiae et iustitiae tamquam summa perfectio in ipso eluxisse videatur. Talis igitur vir tali ingenio ac talibus moribus praeditus cum isto modo mortem obierit, certe consentaneum est hinc quoque patescere, quod cum totius libri argumento atque consilio sane coniunctum est arctissime, virum vere sapientem atque iustum non modo ipsum bono fidentique animo mortem oppetere, sed etiam spem immortalitatis in aliorum animis exemplo suo certissime confirmasse.

CAPUT VI.

DE TEMPORIBUS LIBRI NATALIBUS. DE DIALOGI HABITI AETATE.

Sunt Phaedoni temporis, quo ortus sit, notae evidentes plane nullae impressae. Itaque res ad meram redit coniecturam. Et plurimi quidem quondam in ea fuerunt sententia, ut eum putarent non ita multo post Socratis obitum et scriptum et editum esse, quam sententiam nostra aetate amplexi sunt etiam D. Wyttenbachius¹⁾, Fr. Astius²⁾ et I. Socherus³⁾. Censuerunt enim imaginem Socratis morientis non potuisse tempore opportuniore depingi, quam quo haud ita pridem fato defunctus esset, quam rationem etiam illud non mediocriter firmare videtur, quod narratio de ultimis Socratis factis atque dictis tam est accurata, tam vivida, tam copiosa, ut recenti alicui nuntio de re nuper demum gesta utique longe sit simillima. Quam ob rem qui ita statuerunt, Phaedonem adeo putarunt etiam arctiore quodam necessitudinis vinculo cum Critone et Apologia contineri, quippe qui libri pariter in nobilitandis ultimis Socratis dictis et factis versentur.

Sed huic quidem sententiae non pauca sunt quae plurimum officiant. Nam etsi non ita multum tribuendum sit rationibus eorum, qui cum Schleiermacher⁴⁾ librum ideo censuerunt

1) Éd. Phaedon. p. 298.

2) Platons Leben u. Schriften p. 26 sq.

3) Ueber Platons Schriften p. 79 sq.

4) Platons Werke. II. Thl. 3. Bd. (Einleitung zum Phaid.), II. Thl. 2. Bd. (Einleitung zum Gastmahl).

multis demum annis post Socratis mortem scriptum esse, quia imago philosophi in Sophista promissa coniuncta opera in Symposium et Phaedone perficiatur ideoque Phaedo post Symposium h. e. post Olymp. 98, 4¹⁾ in lucem emitti non potuerit, tamen alia sunt etiam ponderosiora, unde libri origines in tempora aliquanto posteriora incidisse intellegatur. Etenim primum quidem idearum doctrina, qua immortalitatis demonstratio magnam partem nititur, in hoc opere adeo est plena et omnibus numeris absoluta, ut in nullo alio Platonis opere magis. Quae cum a philosopho accuratius demum cognitio Eleaticorum, Megaricorum et Pythagoreorum de rerum essentia (*οὐσία*) deque veri cognitione opinionibus ad eam, qua usa est, perfectionem ex-culta videatur²⁾, consequens est, ut nec Phaedo ante philosophi ad Megaricos discessum aut ante primum iter in Italiam inferiorem ac Siciliam susceptum litteris consignatus sit. Enimvero quam diversa doctrina Platonis postero tempore fuerit ab illa ratione, quam ea aetate consecutus est, qua nondum deseruerat doctrinae Socraticae simplicitatem, id vero perspicue intellegitur ex Menone³⁾, ubi cum animorum immortalitas item e vita ipsorum superiore probetur, tamen idearum cognitionis nulla dum mentio iniicitur, sed res aliter multo illustratur.

Deinde manifestum est in Phaedone luculentissima deprehendi Pythagoricae sapientiae vestigia, ut dubium non sit, quin philosophus quo tempore hunc librum composuit illius iam accuratissimam habuerit notitiam vel ex scriptis vel e familiaribus sermonibus collectam. Pertinent huc quae disseruntur de animo in corpore veluti carcere aliquo incluso, de animorum liberatione et purgatione, de eorum migrationibus, de natura eorum cum harmonia cognata, alia multa, de quibus vel in superiore disputatione vel in commentariis explicavimus. Quin etiam totum istud consilium, quo locum de immortalitate peculiari opera illustrare constituit, subnatum ipsi esse verisimile est, cum Pythagoreorum de hac re sententias accuratius pernovisset, praesertim cum id etiam ad fulciendum universae doctrinae suae aedificium sensisset plane esse necessarium⁴⁾. Nec vero ipse philosophus ullo modo dissimulavit sibi hac in re observatos esse Pythagoreos, id quod vel testantur illi, quos colloquentes induxit, Echebrates, Simmias et Cebes, testatur item mentio

1) Prolegom. ad Symp. pag. LXVIII.

2) Prolegom. ad Politic. pag. 31—37. C. F. Hermann, Gesch. u. Syst. d. Plat. Philos. I. pag. 527. 530.

3) Pag. 81 A sq. et 86 A.

4) Cic. Tusc. I, 17, 39: *Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse et didicisse Pythagorea omnia, primumque de animorum aeternitate non solum sensisse idem, quod Pythagoram, sed rationem etiam attulisse.*

Philolai, cuius scripta fertur in Italia inferiore coemisse¹⁾. Cum vero Plato accuratorem quidem certe doctrinae Pythagoricae cognitionem non prius quam lustrata Italia inferiore adeptus sit²⁾, inde quoque necessitate quadam efficitur, ut Phaedo multis demum annis post Socratis obitum scriptus esse putandus sit. Cui rationi nec illud adversatur, quod Cebes et Simmias Thebani, Philolaicae sapientiae notitia imbuti, Platoni iam illa aetate, qua Socrates usque in vivis fuit, illius cognitionem impertire potuerunt. Nam quid rei sit, scriptor ipse non obscure significavit. Qui quod Socratem fecit de Philolai sententia interrogantem, Cebetem autem respondentem explicatam illam esse ab ipso auctore obscurius, hic ipsis verbis satis aperte indicavit nihil nisi incertos rumores tum de viri doctrina Athenas perlantos fuisse, unde de omni eius ratione certius repeti iudicium non potuerit. Itaque omnino quidem sic existimandum est, ut Platonem censeamus iuvenem quidem aliqua Pythagoricae doctrinae notitia imbuti potuisse, sed postea demum virum factum per itineris in Italiam suscepti opportunitatem plenioris eius cognitionem accepisse, unde ad suam ipsius rationem excolendam perficiendamque proficere potuerit. Id quod plane convenit cum testimoniis antiquitus proditis, quorum fidem et auctoritatem nondum a quoquam eversam esse aut labefactatam iure nostro contendere videmur.

Sed tertia quoque causa est cur Plato Phaedonem proveciore demum aetate scripsisse existimandus sit. Continetur enim hic dialogus arctissime argumenti quadam cognatione cum Phaedro et Symposio. Nam ut alia taceamus, quae huc revocari possint, habent Phaedrus et Symposium primum illud imprimis propositum, quod vis et natura animi divina atque aeterna in illustriore luce collocatur atque ea esse arguitur, quae idearum et rerum divinarum utique capax sit. Iam vero quid Phaedo? Nimirum versatur hic imprimis in asserenda animorum aeternitate, qua una demum fieri potest, ut animus in rerum divinarum communionem perveniat atque cognitionis idearum particeps fiat. Porro in Phaedro animus a rerum divinarum celsitate et altitudine ad humilia ac terrena delapsus talis informatur, qui servato et nutrito rerum divinarum studio rursus ad coelestia tendat et ad divinarum rerum communionem enitatur. Idem vero similiter in Phaedone fieri meminimus, in quo sapiens infinito quodam studio animi ex corporis vinculis liberandi et ad

1) Böckh, Philolaos pag. 18 sq., C. F. Hermann, Gesch. u. Syst. I. pag. 108. an. 92 coll. annot. nostra ad pag. 61 CD.

2) Proleg. ad Politic. pag. 31 sq., Disput. de Plat. vita, ingenio et scriptis (Opp. Plat. Vol. I. Sect. 1.) pag. XXVI sq., C. F. Hermann, Gesch. u. Syst. I. p. 48. coll. 160 sq., 527, 530, 683 sq.

divina evehendi incensus depingitur. Neque ab hac re alienum est Symposium, in quo ostenditur, quibus quasi amoris h. e. rerum divinarum studii gradibus ad diviniore sapientiae possessionem perveniat. Iam vero in Phaedro animi dicuntur tanto citius ad inferiora decidere atque adeo denique in brutarum animantium corpora delabi, quanto magis eos deficiat rerum divinarum studium et ardens desiderium. Quod ipsum quoque in Symposio ita iudicatur, in quo qui divino amore neglecto ad humiles corporis cupiditates prolabantur, ii locum infimum tenere existimantur. Cum istis vero omnibus praeclare convenit Phaedo, in quo qui corporis lubricibus constricti tenentur, ii humum delapsi denique etiam brutarum bestiarum corporibus illigantur. Accedit ad haec, quod in utroque illo opere animorum immortalitas ad doctrinae rationem ibi explicatam necessario requiritur. Ea vero etsi in Phaedro¹⁾ argumento ex libero animi motu itemque ex idearum recordatione repetito utique confirmata est, tamen in Phaedone etiam multo subtilius atque certius stabilitur, ut facile appareat huius demum libri accessione doctrinam ibi proditam et illustrari luculentius et certius corroborari. Quid igitur? nonne apertum esse debet omnibus Phaedonis ortum post Phaedri et Symposii origines esse ponendum? Hoc autem si vere ita statuitur, scripsit Plato librum nobilissimum, cum non ita pridem ex primis itineribus in patriam redux factus esset atque in Academia philosophiam docere instituisset, id quod dudum ita in Disput. de Plat. vita, ingenio et scriptis²⁾ iudicavimus. Atque eandem rationem suis quisque de causis amplexi sunt etiam F. Schleiermacherus, C. F. Hermannus³⁾, C. Steinhartus⁴⁾, alii, quorum iudiciis sanequam plurimum tribuimus.

Itaque omnia profecto testantur Phaedonem non iuvenilis, sed maturioris aetatis opus esse, id quod etiam artis perfectio in eo mire exsplendens certissime confirmat. Quod autem Socratis morientis imago in eo tam vividis coloribus est depicta, ut videri possit eorum, quae describuntur, recens memoria tum fuisse, cum liber componeretur, iniuria profecto inde collegerunt eum revera non ita multo post Socratis mortem scriptum putari oportere. Etenim primum quidem fieri saepe potuit, ut Plato, ubi non ita pridem in patriam revertit, popularibus suis sapientis morientis imaginem expolitorem ob oculos ponere constitueret, quippe qui iam ipsi de Socratis virtute et animi

1) Pag. 245 C sq. et 249 C.

2) Opp. Plat. Vol. I. Sect. I. pag. XXV sq. et LI sq.

3) Gesch. u. Syst. I. pag. 528 sq.

4) Plat. sämtl. Werke. Uebers. v. H. Müller. Vol. IV. pag. 458 sq.

magnitudine rectius statuere didicissent¹⁾. Deinde etiam maxime est verisimile scriptori immortalitatis argumentum tractanti in animum rediisse Socratis tam gratam quamque recordationem, ut eius speciem tamquam recentis cuiusdam amoris affectu intueretur, exprimeret, repraesentaret. Denique etiam observatione dignissimum est Socratem in Phaedone, licet in ceteris ad vitae veritatem expressus sit, tamen eum informari, qui animo suo non modo sapientiam Pythagoricam imberit, sed etiam ipsius Platonis doctrinam omnem plane comprehenderit. Qualem quidem eum a Platone iam eo tempore, quo haud ita pridem mortuus fuit, deformari potuisse qui sibi persuaserunt, si profecto a vero aberrasse existimandi sunt.

Atque haec quidem si probabiliter disputata sunt, quoniam loco Phaedo in ordine scriptorum Platoniorum habendus sit, nemo amplius magnopere dubitabit. Nos quidem certe fatemur etiam nunc in ea persistere sententia, ut eum proxime post Phaedrum et Symposium prodidisse et Philebi, Politiae atque Timaei scriptionem antecessisse existimemus²⁾. Nam Heusdio³⁾ quidem Phaedonem non ita multo post Politiam scriptum esse censenti vel ideo non assentimur, quia in Politia⁴⁾ immortalitatis argumentis in Phaedone expositis novum quoddam additur, quandoquidem ostenditur causam interitus animorum necessario internam quandam et in ipsius animi natura positam esse oportere. Accedit huc, quod in libro decimo⁵⁾ ad argumenta in Phaedone explicata relegamur.

A tempore, quo liber a Platone litteris exaratus est, distinguendum est tempus habitus vel potius enarrati sermonis. Habitus vero dialogus fingitur non statim post Socratis mortem, sicuti plerumque statuerunt viri docti, sed aliquanto post illius obitum, id quod clarissime ex pag. 57 DE perspicitur, ubi inde a multo tempore nullus hospes dicitur Athenis pervenisse Phliuntem, qui de ultimis Socratis dictis et factis aliquid certi referre potuerit. Quippe praeterierat quo tempore colloquium narratum fingitur, iam *συχνὸς χρόνος*, impedito, ut videtur, bellicis motibus mutuo Athenarum et Peloponnesi commercio. Quocirca cogitavimus olim de belli Corinthiaci temporibus⁶⁾. Nec tamen nunc putamus verisimile sermonem quinquennio demum post Socratis obitum institutum fingi. Itaque malumus iam de bello Elio cogitari, quod anno a. Chr. CCCXCIX.,

1) Disput. de Plat. vita, ingenio et scriptis. L. c. pag. XXVII.

2) Ibid. pag. XLIX sq. coll. pag. XXIV sq.

3) Initia philos. Platon. III. pag. 189.

4) L. X. pag. 609 B sq.

5) Pag. 611 B.

6) Nep. Ages. 5. Diod. Sic. XIV, 83. Demosth. adv. Lept. 41. Isocr. Panegy. cap. 33 et 40.

quo Socrates obiit, gestum est¹⁾. Quo quidem exorto Phaedo Elidensis propter fortunae tristitiam videtur patria relicta Phliuntem concessisse, ut ibi tutius habitaret. Quo modo autem fieri potuerit, ut commercium Athenarum et Phliuntis bellicis turbis impediretur, e verbis Xenophontis²⁾ perspicuum fit: *πάλιν οἱ ἔφοροι φρουρὰν (περαίνουσιν) ἐπὶ τὴν Ἑλίαν καὶ ξυνεστρατεύοντο τῷ Ἄργιδι πλὴν Βοιωτῶν καὶ Κορινθίων οἱ τε ἄλλοι ξύμμαχοι καὶ οἱ Ἀθηναῖοι.* Itaque Socrates cum Ol. 95, 2. = CCCXCIX. a. Chr. n. mense Thargelione, quo Delia celebrata sunt, obierit, sanequam verisimillimum est colloquium aut Ol. 95, 2. exeunte aut Ol. 95, 3. = a. CCCXCVIII. a. Chr. n. ineunte habitum fingi.

CAPUT VII.

DE PERSONIS DIALOGI.

Phaedo³⁾ fuit Elidensis, quandoquidem patria eius fuit Elis. Is nobili ortus familia cum adolescens una cum patria a Spartanis captus et Athenis lenoni in servitutem traditus esset, magnam fortunae indignitatem expertus est, usque dum eum Socratis hortatu Alcibiades vel, ut alii verisimilius narrant, Crito vel Cebes Socraticus redimeret et in libertatem vindicaret⁴⁾. Ex quo tempore philosophiae studiis operam dedit atque Socratis usus est institutione ac disciplina⁵⁾. Quemadmodum autem Socrati imprimis carus fuit, id quod praeter alios etiam Plato⁶⁾ testatur, quippe magistrum narrans ita cum eo confabulatum esse, ut caput eius amanter demulceret, ita ipse quoque videtur magistri fuisse amantissimus. Cuius rei indicium hoc est, quod apud Platonem nihil quidquam ait sibi esse gratius aut iucundius, quam Socratis renovare memoriam quodque vehementissimo dolore affectus est, ubi Socrati iamiam mortem imminere videt. Exstitit postea auctor novae familiae, quae dicta est Eliaca ac multa habuit cum schola Megaricorum communia⁷⁾. Numeratur tamen a Diogene⁸⁾ inter Socraticos. Et certe dialogos scripsit, qui Socraticum morem rationemque exprimerent.

1) Xen. Hell. III, 2, 25—31. Paus. III, 8, 2.

2) Xen. Hell. III, 2, 25.

3) Preller, Phaedon's Lebensschicksale u. Schriften. N. Rhein. Mus. 1846. IV. pag. 391—399.

4) Gell. N. A. II, 18. Diog. L. II, 31.

5) Diog. L. II, 31, 105.

6) Phaed. pag. 89—91.

7) Diog. L. II, 105. Strab. IX, 1, 8. pag. 393 Cas. Suid. v. *Φαίδων*. Hesych. III. pag. 39 ed. Meurs.

8) II, 47.

Quamquam in iis componendis videtur versatus esse liberius atque suo ipsius ingenio ac doctrinae nonnihil indulsisse. Ex quo originem duxit perversum nonnullorum iudicium, qui Panaetium Stoicum putaverunt Phaedonis Platonici fidem atque auctoritatem in controversiam vocasse, in quorum numero fuit Leonidas Alexandrinus¹⁾. Nimirum Panaetius neutquam librum Platonis in dubium vocavit, sed Phaedonis et Euclidis dialogum pro Socraticis probandi essent, ambigendum statuit²⁾.

Hunc igitur Phaedonem Plato in hoc sermone iussit ea narrare et exponere, quae Socrates ultimo vitae die fecisset et disputavisset adeoque nomine ipsius librum inscriptum voluit. In quo cum Gellio³⁾ et Macrobio⁴⁾ agnoscimus honoris cuiusdam testificationem, unde facile conicias etiam Platoni cum eo arctiorem quandam amicitiam ac necessitudinem intercessisse quo tempore hic dialogus litteris exaratus est, fortasse contractam illam arctius aut renovatam, cum philosophus Peloponnesum per itinerum post Socratis mortem susceptorum opportunitatem inviseret. Ceterum quod Athenaeus⁵⁾ narrat, Phaedonem lecto Platonis dialogo negavisse se unquam tale quiddam exposuisse, id sicuti nemini cuiquam mirum accidit, qui morem et consuetudinem dialogorum meminerit, ita etiam eo valere debet, ut quae in Phaedone exponuntur, ea uni maxime Platoni deberi certius nobis persuadeamus.

Narrat autem Phaedo sermonem Echechrati, apud quem hospes devertit, atque aliis eius familiaribus. Nam praeter Echechratem etiam *κατὰ πρόσωπα* fingi praesentia et dialogi exordium docet et patet e pag. 102 A. Eum tum habitasse Phliunte ipse Plato indicat. Et vocatur etiam a Diogene⁶⁾ et Iamblichio⁷⁾ Phliasius. Quamquam huius nominis sine dubio alia ratio est, quam alicui primo aspectu videatur, siquidem intellegitur Pythagoreus ille Echechrates, quem Diogenes et Iamblichus memorant, de qua re nostro quidem iudicio nulla potest

1) In Epigramm. Anthol. Gr. X, 358 = I, 44, 4.

2) Diog. L. II, 64 (coll. III, 37): πάντων μέντοι τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων Παναίτιος ἀληθεὶς εἶναι δοκεῖ τοὺς Πλάτωνος, Ξενοφάντος, Ἀντισθένης, Ἀισχίνου· διατάζει δὲ περὶ τῶν Φαιδῶνος καὶ Εὐκλείδου· τοὺς δὲ ἄλλους ἀναιρεῖ πάντας h. e. omnium vero Socraticorum dialogorum Panaetius censet solos Platonis, Xenophontis, Antisthenis atque Aeschinis germanam referre Socratis rationem ac disciplinam; de Phaedonis autem et Euclidis libris ambigit; ceteros omnes numero Socraticorum eximit.

3) N. A. II, 18.

4) Sat. I, 11.

5) L. XI. pag. 505 E.

6) VIII, 46.

7) Vit. Pythag. 250 sq.

esse controversia¹⁾. Etenim oriundus fuit Echechrates Locris²⁾. Sed cognomen Phliasii inde, opinor, accepit, quod relicta Italia inferiore rerum suarum sedem ac domicilium aliquamdiu transtulit Phliuntem, urbem Sicyoniae, non procul ab Isthmo sitam, cui fortasse ideo aliquid necessitudinis cum Pythagoreis intercedebat, quia Pausania³⁾ teste ibi natus erat Hippasus, Pythagorae proavus, et ipse quoque Pythagoras per aliquod tempus ibi commoratus erat⁴⁾, unde etiam hic a nonnullis⁵⁾ Phliasius est appellatus. Ac fieri potest, ut etiam Echechrates, sicuti Pythagoras proavos habuerit Phliasios, a quibus Phliasius sit cognominatus. Sed ista quidem utut se habent, illud certe ipso Platone teste compertum habetur, eum quo tempore Socrates vita excessit recentem admodum fuisse Phliuntis incolam. Accuratiorem enim aut Peloponnesi aut rerum Atticarum non habuit notitiam⁶⁾, quod profecto mirum in eo deberet accidere, qui Phliunte aut natus et educatus esset aut saltem diutius ibi vitam degisset. Quocirca sic videtur existimari oportere, ut Echechrates circa illud tempus, quo Socrates mortem subiit, Phliuntem commigravisse statuamus. Quae quidem commigratio cur tum ab eo suscepta sit, haud sane constat⁷⁾.

1) Diversus est plane ab Echechrates adolescente, cuius mentio fit Epist. Plat. IX. ad Archytam scripta p. 358 B.

2) Cic. De fin. V, 29. Val. Max. VIII, 7, 3.

3) II, 14.

4) Cic. Tusc. V, 3. 4. Diog. L. proem. 12. VIII, 1. ibique interpr.

5) Paus. II, 13. Lycus apud Porphy. Vit. Pyth. 5. Diog. Sic. Excerpt. Vales. p. 554 ed. Wessel.

6) Proleg. cap. V. init. pag. 34.

7) Illud tamen ex ipso Platonis Phaedone condiscimus, etiam Philolaum non multo ante Socratis obitum Thebis esse moratum. Nec vero hac in causa neglegendum est, de quo aliunde constat, etiam Archippum atque Lysin, qui teste Porphyrio (Vit. Pyth. 55) et Plutarcho (De genio Socrat. p. 583) postea Epaminondam erudit, eodem fere tempore in Graeciam ex Italia concessisse. Nimirum videntur etiam tum in Italia inferiore motus civiles exorti esse Pythagoreis periculosi, unde nonnulli eorum fuga capta rerum suarum sedem aliorum transtulerunt, usque dum reditus in patriam ipsis aliquando rursus pateret. Nam Echechrates quoque postea Locros videtur revertisse, quandoquidem Plato eum posteriore tempore per itinerum opportunitatem una cum aliis Pythagoreis illic salutavit, sicuti cum Cicero (De fin. V. 29) tum alii clarissime testantur. Nec tamen ibi semper ac perpetuo fixit domicilium. Cuius rei causa intellegitur ex Iamblich. Vit. Pyth. 250 sq., ubi de Pythagoreis illorum temporum narrantur haec: οἱ δὲ λοιποὶ τῶν Πυθαγορείων ἀπέστησαν τῆς Ἰταλίας, πλὴν Ἀρχύτου τοῦ Ταραντίνου. ἀθροισθέντες δὲ εἰς τὸ Πήγιον ἐκεῖ διέτριβον μετ' ἀλλήλων, καὶ τῶν πολιτευμάτων ἐπὶ τὸ χεῖρον προβαίνοντων (i. e. dum etiam civitates in peius ruebant, quae verba male sollicitavit Kusterus). ἦσαν δὲ οἱ σπουδαιότατοι Φάντων τε καὶ Ἐχεκράτης καὶ Πολύμναστος καὶ Διοκλῆς Φλιάσιοι,

Echecrati igitur Phaedo narrat ultima dicta atque facta Socratis h. e. viro Pythagoricae disciplinae addicto, cui certe nihil potuit esse exoptatius, quam Socraticam disputationem de animorum immortalitate audire, quandoquidem Pythagorei hunc ipsum locum philosophiae reperiuntur tractavisse studiosissime. Nec vero temere suspiceris etiam alios Echecratis familiares, coram quibus Phaedo sermonem exposuit, Pythagoreos fuisse, fortasse Phantonem, Dioclem, Polymnastum, qui apud Iamblichum et Diogenem¹⁾ Phliasii appellantur. Sed istud quidem ut in mera coniectura positum sit, prudentissime certe Plato ita instituit, ut homini Pythagoreo omnia narrari iusserit, qua ratione legentibus scite suae ipsius de animorum immortalitate doctrinae cum ratione Pythagoreorum necessitudinem et conjunctionem significavit.

Atque haec ipsa etiam causa est, cur Cebetem imprimis atque Simmiam Thebanos cum Socrate de animorum immortalitate colloquentes Plato induxerit. Quippe audiverant illi Thebis Philolaum, nobilissimum Pythagoreum, ideoque sapientiae Pythagoricae aliquam hauserant notitiam. Fuerunt iidem Socrati amicissimi²⁾ et non modo ingenii acumine excellentes, verum etiam scientiae et eruditionis aviditate insignes³⁾. Nam Cebes quidem perquam sollers est in investigandis acutis argumentationibus plurimumque valet movendis dubitationibus, si quid minus certum et exploratum videatur; quapropter etiam

Ξενοφίλος δὲ Χαλκιδεύς, τῶν ἀπὸ Θράκης Χαλκιδέων. ἐφύλαξαν μὲν οὖν τὰ ἐξ ἀρχῆς ἤθη καὶ τὰ μαθήματα, καίτοι ἐκλειπούσης τῆς αἰρέσεως, ἕως εὐγενῶς ἠφανίσθησαν. ταῦτα μὲν οὖν Ἀριστοξένος διηγείται. Ex quibus apertum est pravam rerum civilium conditionem exstitisse causam, cur homines sapientissimi Italiam deserendam putarent. Rem confirmat etiam Diogen. L. VIII, 46: τελευταῖοι γὰρ ἐγένοντο τῶν Πυθαγορείων, οὓς καὶ Ἀριστοξένος εἶδε, Ξενοφίλος τε ὁ Χαλκιδεύς ἀπὸ Θράκης, καὶ Φάντων ὁ Φλιάσιος καὶ Ἐχεκράτης καὶ Διοκλῆς καὶ Πολύμναστος, Φλιάσιοι καὶ αὐτοί. ἦσαν δὲ ἀκροαταὶ Φιλολάου καὶ Εὐρύτου τῶν Ταραντίνων. Quo loco quod scriptor etiam narrat Pythagorae rationem ac disciplinam viguisse μέχρι γενεῶν ἑννέα ἢ καὶ δέκα, ratio sibi constat, si inde ab Olymp. LX. repetas et singulas generationes annis XX absolvas, id quod dudum docuerunt I. Lipsius (Mamud. ad Philos. Stoic. Diss. 6.) et R. Bentleius (Diss. de Epist. Phalar. p. 81). Inter τοὺς τελευταίους Pythagóricos etiam Diodor. Sic. XV, 76 eos refert, qui Platonis, Xenophontis, Isocratis et Epaminondae aetate vixerint, cogitans sine dubio de iisdem illis, quos Diogenes et Iamblichus nominatim memorant. Nimirum videtur tum utique secta Pythagoreorum exolevisse, usque dum aliquot saeculis post denuo revivisceret.

1) Iambl. Vit. Pyth. 250 sq. Diog. L. VIII, 46.

2) Crit. pag. 45.

3) Phaed. p. 69 E sq., 85 C. Phaedr. p. 242 B. Xen. Mem. I, 2, 48. III, 11, 17. Diog. L. II, 124. 125.

Socrati animorum immortalitatem asserenti non levem movet controversiam¹⁾. Simmias autem, popularis eius et amicus, etsi illi nonnihil cedit iudicii acumine et firmitate²⁾, tamen et ipse disputator est perquam subtilis, cuius dubitationes de immortalitate³⁾ item a Socrate dignae iudicantur, quae accuratius refellantur. Quod autem ambo, quamvis sint iuvenes⁴⁾, non dubitant contra Socratem disputare, si quid ipsis dubium et controversum videtur suamque sententiam libere proferre, id non modo ideo faciunt, quia quid de re gravissima sentiendum sit, propter sciendi cupiditatem a magistro quam accuratissime edoceri cupiunt, sed etiam eo facere non verecundantur, quoniam Boeotorum simplicitatem⁵⁾ atque animi candorem cum amabili morum comitate coniunctum prae se ferunt.

Apollodorus fuit homo optimi animi, sed item tristioris eiusdemque calidioris ingenii, qui facile in utramque partem moveretur vehementius. Unde etiam cognomen τοῦ μανικῶ (der Schwärmer, der Enthusiast) accepit⁶⁾. Tali vero sensu etiam Socratem amplexus est, cuius erat longe amantissimus⁷⁾. Quocirca etiam morienti ita affuit, ut non solum lacrimas effunderet multas, sed etiam vehementer eiularet et vociferaretur⁸⁾. Lepidum est, quod narrat Aelianus⁹⁾, attulisse eum in carcerem tunicam et pallium, quibus ornatus Socrates moreretur.

De Critone ad cognominem dialogum dictum est.

CAPUT VIII.

DE RE LITTERARIA.

a) De manuscriptis codicibus.

Codicum ad hunc librum exploratorum duo sunt genera. Alii enim diligenter excussi sunt seduloque in singulis partibus comparati; alii vel inspecti neglegentius vel rarius ad usum criticum revocati. Itaque illorum potissimum ducenda ratio fuit neque his magnum momentum tribuendum, nisi sicubi dubiam aliquam lectionem suffragio suo confirmarent.

1) Phaed. p. 63 A, 77 A, 84 C — 89.

2) Phaed. p. 76 D coll. p. 73 A.

3) Phaed. p. 95 A sq.

4) Phaed. p. 89 A vocantur νεανίσκοι.

5) Annot. ad Phaed. p. 62 A.

6) Diximus de hoc cognomine ad Symp. 173 D.

7) [Xen.] Apol. 28. (ἐπιθυμητῆς ἰσχυρᾶς αὐτοῦ), Xen. Mem. III, 11, 17.

8) Phaed. p. 117 D.

9) V. H. I, 16.

Diligenter excussi et ad usum criticum adhibiti sunt codd. hi: Bodleianus sive Clarkianus, Coislin. Γ , Vat. Δ (quem et Bekkerus et Bastius contulerunt), Ven. $A\Xi\Pi$, Vind. $\mathcal{T}\Phi$ (nobis in Apologia et Critone numeris 2 et 6 signati), Par. CEGHIL et quem Bastius excussit Paris. 1808. a nobis littera A signatus, Ambrosianus (s) et Angelicus (u). Hi omnes praeter Clarkianum, qui a Gaisfordio examinatus est, et praeter Par. A, quem Bastius contulit, a Bekkero collati sunt numero sedecim. Ad hos accedunt Florentini a b c d i m, quorum varias lectiones diligentissime enotatas viri clarissimi de Furiae sollertiae debemus. Vicesimus tertius est Zittaviensis, quem Rudolphus exploravit, vicesimus quartus et quintus Tubingensis et Augustanus, unde varietatem lectionis Fischerus cum eruditis communicavit.

Ex his libris primas tenent Bodleianus, Vaticanus, Tubingensis, Veneti $\Xi\Pi$, Vindobonensis Φ , Parisinus G, Florentinus d. Nec multum iis postponendi sunt Ambrosianus, Augustanus, Ven. Δ , Vindob. \mathcal{T} , sed illis tamen tribuendum est plurimum. Praeterea nosse oportet Bodleianum librum duplicem referre recensionem, alteram primitivam, cui tribuendum est plurimum, alteram secundariam, quae nec ipsa spernenda est. Illam per omnia probavit C. F. Hermannus, nos non ubique amplectendam iudicavimus, cum et ipsa grammatici alicuius recensionem referat ac subinde manifesto sit vitiosa.

Minus auctoritatis et utilitatis habent codices Vindobonenses 1 2 3 4 5 6 8, propterea quod eorum lectiones a Wyttenbachio paucis tantum locis memoratae sunt, licet is a Bastio eadem diligentia enotatas accepisset, qua nos ad Apologiam et Critonem. Sed compensavit hanc iacturam aliquatenus diligentia Bekkeri, qui secundum atque sextum, quos litteris \mathcal{T} et Φ insignivit, accuratissime examinavit. Non maiorem Wyttenbachius diligentiam praestitit in enarrandis lectionibus codicum Venetorum c d, quarum usum Morellio debuit. Itaque his quoque in critica factitanda non nisi paucis locis aliquid pretii est.

Ceterum Ven. a et b, unde Bastius varias lectiones excerpserit, iidem videntur esse, quos Bekkerus appellavit $\Xi\Pi$. De Ven. b id non est dubium. Sed Ven. a non esse eum, quem Bekkerus signavit Σ , ex iis colligo, quae hic Praef. p. XIII. de codice n. 189. narrat. Itaque Bastius fasciculum variarum lectionum ad Critonem, Apologiam et Phaedonem errore videtur numero codicis 189. inscripsisse, cum vellet 184. Qui error etiam ad Apologiam et Critonem notandus fuit. Maximam autem consensionem esse Ven. Ξ et eius, quem falso

n. 189. inscriptum putaveramus, vel ex iis intellegi poterit, quae ad Apologiam et Critonem inde enotavimus.

Restat, ut narrandum sit Christophorum Eberh. Finckhium nuper novo sibi munere homines litterarum Graecarum studiosos devinxisse, quippe qui tandem ex bibliothecarum latebris in publicam lucem protraxit Olympiodori Scholia in Platonem atque doctis commentariis instructa edidit Heilbronnae sumtibus J. Ulr. Sandherr 1847. 8. Quem quidem librum Phaedonis lectoribus omni, qua par est, diligentia legendum commendamus.

b) De editionibus Phaedonis.

De editionibus Phaedonis una cum reliquis Platonis operibus factis dictum est in exitu praefationis ad Platonem Vol. I. S. I. p. LXVII sq. et p. 46 sq. Itaque superest, ut hoc loco libri editiones separatim factas easque his temporibus dignas mentione recenseamus. Quo nomine imprimis memoranda sunt haec opera.

Platonis dialogi quinque, Erastae, Euthyphro, Apologia, Crito, Phaedo. Graece et Latine cum notis Nathan. Forsteri. Oxonii 1745. 8. Iterum ibidem 1752. 8. Refert textum Stephani cum brevibus commentariis pro illis temporibus admodum doctis et elegantibus.

Platonis Euthyphro Apologia Socratis Crito Phaedo Graece ad fidem codd. mss. Tubing. August. aliorumque et librorum editorum veterum recensuit emendavit explicavit Ioh. Frider. Fischerus Lipsiae 1783. ed. tertia. Continet praeter diligentem lectionum vet. ed. et codd. Tubing. et August. recensum interpretationem singulorum verborum et enuntiatorum grammaticam eamque satis accuratam.

Platonis Dialogi tres, Phaedo, Sophistes, Protagoras. Emendavit et annotatione instruxit Lud. Frid. Heindorfius. Berolini 1810. 8 mai. Continet verborum et sententiarum interpretationem subtilissimam, ita ut imprimis dictionis Platonicae ratio ducatur, rerum autem ipsarum atque argumenti universi operis cura fere neglecta sit.

Platonis Phaedon. Explanatus et emendatus prolegomenis et annotatione Danielis Wyttenbachii. Lugduni Bat. 1810. 8. Textus est Stephanianus in commentariis hic et illic emendatus; commentarii versantur tum in verborum tum in rerum explicatione adhibitis imprimis recentium Platoniorum opibus; prolegomena autem elegantissime scripta illustrant Platonis placitum de immortalitate atque locum philosophiae, qui est de animi simplici natura et immortalitate. Repetita est libri editio Lysiae a. 1825., aucta supplementis annotationis ab ipso Wyttenbachio in Miscellaneis Doctrinae sive Philomathiae Libr. III.

Amstelodami 1817. pag. 29 sq. evulgatis et aliis quibusdam accessionibus locupletata.

Platonis Phaedo. Accedit lectionis varietas, scholiastes Gr. et brevis adnotatio. Cura David. Koerner. Zuellichav. 1821. 8 mai. Editio parvo parabilis et in usum scholarum adornata, quae breves quasdam in singulos locos adnotationes complectitur.

Platon's Phaedon. Mit kritischen und erklärenden Anmerkungen von G. F. W. Grosse. Halle 1828. 8. Commentarios habet non quidem inutiles, sed nimia copia rerum tritarum atque vulgarium refertos, cum interim subtilior interpretatio fere desideretur.

Platon's Phaedon. Griechisch und deutsch mit kritischen und erklärenden Anmerkungen. Leipzig, Engelmann. 3. Aufl. 1852. 8. Textui Graeco addita est versio Germanica et subiuncta brevis critica notatio. Adnotatio vel locos nonnullos tractat difficiliore vel suppeditat earum rerum notitiam, quae hominibus litterarum Graecarum imperitis scitu necessariae videantur.

Praeterea hunc librum uberrimis commentariis illustravit Fr. Astius in Operum Platon. tom. IX. pag. 479—839.

c) De versionibus Germanicis.

Germanice hunc dialogum converterunt non pauci. Nuper in hoc genere litterarum clari exstiterunt praeter Schleiermacherum (Platon's Werke. Th. II. Bd. III.)

Caspar Götz, Platons Phaedon, übers. u. mit philos. u. andern Anmerkungen versehen. Augsburg 1824. et iterum 1842. 8.

L. F. Lindau, Platon's Phaedon, übersetzt. Berlin 1804. 8.

K. E. A. Schmidt, Platon's Protagoras u. Phaedon übersetzt. Prenzlau 1838. 8.

G. F. Drescher, Platon's sämmtl. Werke, übersetzt. 1. Bd. Giessen 1848. 8.

H. Müller, Platon's sämmtl. Werke, übersetzt mit Einleitungen von K. Steinhart. 4. Bd. Leipzig 1854. 8.

F. A. Nüsslin, Der Platonische Phaedon, übersetzt und erklärt. Mannheim 1855. et iterum 1863. 8.

Π Λ Α Τ Ω Ν Ο Σ

ΦΑΙΔΩΝ.

ΤΑ ΤΟΥΤ ΔΙΑΛΟΓΟΥ ΠΡΟΣΩΠΑ

ΕΧΕΚΡΑΤΗΣ, ΦΑΙΔΩΝ, ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ,

ΣΩΚΡΑΤΗΣ, ΚΕΒΗΣ, ΣΙΜΜΙΑΣ, ΚΡΙΤΩΝ,

Ο ΤΩΝ ΕΝΔΕΚΑ ΤΙΠΡΕΤΗΣ.

Cap. I. EX. Αὐτός, ὃ Φαίδων, παρεγένου Σωκρά- 57
τει ἐκείνη τῇ ἡμέρᾳ, ἢ τὸ φάρμακον ἐπιεν ἐν τῷ δεσμω-
τηρίῳ, ἢ ἄλλου του ἤκουσας; ΦΑΙΔ. Αὐτός, ὃ Ἐχέκρα-
τες. EX. Τί οὖν δὴ ἐστὶν ἅττα εἶπεν ὁ ἀνὴρ πρὸ τοῦ
θανάτου; καὶ πῶς ἐτελεύτα; ἠδέως γὰρ ἂν ἀκούσαιμι.
καὶ γὰρ οὔτε τῶν πολιτῶν Φλιασίων οὐδεὶς πάνυ τι

P. 57. ἅττα εἶπεν] Semel hic monuisse iuvabit non probari nobis
consilium Hirschigii Platoni ubique in talibus elisionem obtrudentis, qua
certe Plato teste Cicerone Or. 44. 150 sq. minime abstinuit. Itaque quas
ille hoc in genere suasit mutationes, omnino mentione indignae sunt; stau-
dum enim ubique a partibus codicum mss.

ἀκούσαιμι] Bodl. Vat. Ambr. Flor. d'et rec. Ven. Π ἐγὼ ante
ἀκούσαιμι interponunt, quod tamen nescio quomodo molestum ac paene
inurbanum videtur. Reperunt tamen Turicensis et Hermannus. v. etiam
ann. ad p. 108 D.

τῶν πολιτῶν Φλιασίων] πολιτικῶν Vind. 6 Flor. a. In uno
Par. L teste Bekkero ante Φλιασίων insertum est τῶν.

Cap. I. P. 57. Αὐτός — παρε-
γένου — Αὐτός] Utrouque loco
αὐτός eadem vi et significatione
positum, quandoquidem indicatur
Phaedonem ipsum (i. e. persōn-
lich) fatali illo die praesentem
affuisse. Nimirum valet hoc eo, ut
Phaedonis narrationi maior quae-
dam fides et auctoritas concilietur.
Nugae sunt, quae de diverso sensu
voc. αὐτός profert Hermog. Rhetor.
Graec. ed. Walz. T. III. p. 402.

Τί οὖν δὴ ἐστὶν ἅττα]
h. e. cuius generis sunt et
quorsum pertinent, quando-
quidem praedicati notio communi
generi subiecta cogitatur, similiter
atque in talibus: οὐκ ἀγαθὸν πο-
λυκοιρανίη, Triste lupus stabu-
lis, i. e. triste quiddam, al.
Eodem modo infra p. 58 C τί ἦν
τὰ λεχθέντα καὶ πραχθέντα, ubi
codd. quidam minus verisimiliter
τίνα ἦν. Hipp. mai. p. 285 D τί
μὴν ἐστὶν ἢ ἠδέως σου ἀκροῶν-

ται, h. e. cuius generis sunt,
s. quorsum omnino pertinent
etc. Gorg. p. 508 C σεπτεῖον, τί
τὰ συμβαίνοντα; Euthyphr. p. 15
A ἀλλὰ τί δὴ ποτ' ἂν εἴη ταῦτα;
ubi v. ann. Similiter Terent. Hecyr.
I. 2, 22 Sed quid hoc negotii est
modo quae narravit mihi Bacchis?
Aliter Phaedon. p. 102 A ἀλλὰ
τίνα δὴ ἦν τὰ μετὰ ταῦτα λε-
χθέντα;

τῶν πολιτῶν Φλιασίων]
Fuerunt qui nomen Φλιασίων
tamquam supervacaneum delen-
dum indicarent, veluti Schae-
ferus ad Gregor. Corinth. p. 1048
et vir doctus in diario: Wiener
allgem. Litt. Zeit. a. 1814. n. 87.
Sed primum nomen Φλιασίων ne in
uno quidem codice desideratur. De-
inde hoc uno vocabulo legentes
maxime monentur scaenam dialogi
Phliunte esse constitutam, quorsum
Phaedo Elidensis nuper visendi
Echecratis causa profectus erat.

ἐπιχωριάζει τὰ νῦν Ἀθήναζε, οὔτε τις ξένος ἀφίεται
 B χρόνον συχνοῦ ἐκείθεν, ὅστις ἂν ἡμῖν σαφές τι ἀγγεῖλαι
 οἶός τ' ἦν περὶ τούτων, πλὴν γε δὴ ὅτι φάρμακον πῶν
 ἀποθάνοι τῶν δὲ ἄλλων οὐδὲν εἶχε φράζειν. ΦΑΙΔ.
 58 Οὐδὲ τὰ περὶ τῆς δίκης ἄρα ἐπύθεσθε ὃν τρόπον ἐρέ-
 νετο; EX. Ναί, ταῦτα μὲν ἡμῖν ἤγγελλέ τις, καὶ ἔδαν-

B. ἀγγεῖλαι] ἀπαγγεῖλαι Vat. Ambr. Vind. 6. Pro ἦν, quod firmant
 Bodl. Ven. II Vat. Tub. Vind. 1 4 6 Flor. d Par. G Ambr., vett. editi. ἡ
 scriptum habent.

P. 58. τὰ περὶ τῆς δ.] Coisl. om. τὰ male.
 ἤγγελλε] Ald. Bas. 1 2 ἤγγελε, unde Steph. fecit ἤγγελλε invitis
 codicibus omnibus.

Alii, inter quos est F. A. Wolfius, post πολιτῶν articulum τῶν
 inserendam censuerunt, quam lec-
 tionem unus codex exhibet apud
 Bekkerum. Sed istiusmodi no-
 mina sine articulo aliis per apposi-
 tionem adiunguntur, quia ipsa per
 se adeo definita sunt, ut articuli
 accessionem non necessario requi-
 rant, utpote ducta a nominibus pro-
 priis. Eodem modo Plat. Ap. Socr.
 p. 32 A καὶ ἔτυχεν ἡμῶν ἡ φυλὴ
 Ἀντιοχίς προτυνεύουσα. Menon.
 in. καὶ οὐχ ἡμιστὰ οἱ τοῦ σοῦ
 ἐταίρου Ἀριστίππου πολῖται Λα-
 ρισσαῖοι. Xen. Ages. I. 10 τὰς ἐν
 τῇ Ἀσίᾳ πόλεις Ἑλληνίδας, h. e.
 scilicet Graecienses. Paus. I.
 10, 5 τῆς γυναικὸς Ὀδρυσιάδος.
 Ibid. III. 21, 2 τὴν πηγὴν Πέλλα-
 νίδα. Inscr. Elea in Corp. Inscr. ed.
 Boeckh. I. p. 26 τῷ Διὶ Ὀλυμπίῳ.
 Athen. VII. p. 325 D τῇ Ἐκάτῃ
 Τριγλαντίῃ. Alius generis est
 quod legitur infra p. 85 B οἱ
 Ἀθηναίων ἄνδρες ἔνδεκα, ubi v.
 ann. Verba Platonis affert etiam
 Grammaticus Bekker. An. I. p.
 352, 25, unde receptae scripturae
 novum robur ac firmamentum acce-
 dit. Deinde verbo ἐπιχωριάζειν,
 commorari, additur Ἀθήναζε,
 Athenas, per illam loquendi con-
 suetudinem, quam illustravimus ad
 Plat. Euthyphron. (Lps. 1823) p. 96.
 Solent enim Graeci vocibus motum
 in locum significantibus adiungere
 verba quietem et statum significa-
 ntia ita, ut binas sententias una ea-
 demque verborum comprehensione

complectantur. Itaque sensus hic
 est: nam nemo civium Philia-
 siorum nunc Athenas venit
 ibique commoratur. Xen. An.
 I. 2, 2 παρήσαν εἰς Σάρδεις, h. e.
 Sardes venerunt ibique fue-
 runt. Exempla plura si quis desi-
 deret, is adeat Valckenar. ad
 Her. I. 21, 4. Marklandum ad
 Tyr. Maxim. Dissert. XLI. §. 5. al.
 Itaque perperam H. Stephanus
 Thes. IV. p. 663 ἐπιχωριάζειν in-
 terpretatur ventitare, quamvis
 probante Heindorfio; neque me-
 lius explicat Wytttenbachius
 peregre venire et abire in
 locum.

B. οἶός τ' ἦν] Quum dicat hoc,
 neminem potuisse certi quid-
 quam ea de re narrare, recte
 videtur Heindorf. edidisse οἶός τ'
 ἦν, quod probat etiam Hermann.
 praef. ad Eur. Suppl. p. XIII. frustra
 repugnante Wolfio, Zu Plat.
 Phaedon. p. 8. Reisig. Com-
 mentat. de ἄν part. p. 113 ὅστις
 ἂν — ἦν minus eleganter poni iu-
 dicabat propter antegressum tem-
 pus perfectum ἀφίεται. Sed eo-
 dem modo Eur. Med. 1311 οὐκ
 ἔστιν ἧτις τοῦτ' ἂν Ἑλληνὶς γυ-
 νὴ ἔτλη ποδ'.

περὶ τῆς δίκης] Περί cum
 secundo casu coniunctum esse
 liquet propter verbum ἐπύθεσθε.
 v. ad Ap. Socr. p. 32 B et infra ad
 cap. XXII. p. 76 D coll. Matthiae
 §. 596. 5. a et b.

P. 58. ταῦτα μὲν] Quod μὲν
 ponitur non sequente δέ, eius rei

μάζομέν γε, ὅτι, πάλαι γενομένης αὐτῆς, πολλῶ ὕστερον
 φαίνεται ἀποθανών. τί οὖν ἦν τοῦτο, ᾧ Φαίδων; ΦΑΙΔ.
 Τύχη τις αὐτῶ, ᾧ Ἐχέκρατες, συνέβη· ἔτυχε γὰρ τῇ
 προτεραίᾳ τῆς δίκης ἢ πρόμνα ἐστεμμένη τοῦ πλοίου,
 ὃ εἰς Ἀἴλιον Ἀθηναῖοι πέμπουσιν. EX. Τοῦτο δὲ δὴ τί
 ἔστιν; ΦΑΙΔ. Τοῦτό ἐστι τὸ πλοῖον, ὡς φασιν Ἀθηναῖοι,
 ἐν ᾧ Θησεύς ποτε εἰς Κρήτην τοὺς δὲς ἐπτά ἐκείνους
 ᾤχετο ἄγων καὶ ἔσωσέ τε καὶ αὐτὸς ἐσώθη. τῷ οὖν B
 Ἀπόλλωνι εὐξάντο, ὡς λέγεται, τότε, εἰ σωθεῖεν, ἐκάστου
 ἔτους θεωρίαν ἀπάξειν εἰς Ἀἴλιον· ἦν δὲ αἰὶ καὶ νῦν

τί οὖν] Decst οὖν in Coisl. Ven. A T Par. CEHI pr. G Flor. a c
 m Zitt. et paucis aliis. Absorptum videtur proximo ἦν, quod Vat. A
 omittit.

πέμπουσιν] Quod vulgo post πέμπουσιν additur κατ' ἔτος cum
 Bodl. Coisl. Ven. A B II T Tubing. Aug. Flor. a b c d i Par. CEIHL
 Zitt. Angel. omisimus. In Bodl. tamen teste Gaisfordio margini adscriptum
 legitur. Sed nimirum res accuratius in sequentibus declaratur.

Θησεύς ποτε] Vat. Par. G Vind. 6 Ambr. ποτε Θησεύς. Mox
 Par. E I Flor. b ἀγαγών. — ἠύξαντο Vat. Vind. 6 Ambr.

causam declaravimus ad Criton. p.
 43 D ἀλλὰ δοκεῖ μὲν μοι ἤξειν.

πολλῶ ὕστερον] triginta
 diebus post, id quod satis docet
 locus Xen. Mem. III. 8, 2. conf.
 Epistol. Socr. 14. Sen. Epist. 70.

τί οὖν ἦν τοῦτο] quid hoc
 erat rei? quae nam erat huius
 rei ratio atque causa?

ἢ πρόμνα ἐστ. τ. πλοίου —
 πέμπουσι] De hac re v. quae
 narravimus ad Criton. cap. I. extr.

ἐστεμμένη] h. e. lauro or-
 nata, quae sacra erat Apollini.

πέμπουσιν] solemniter mit-
 tunt. Proprium hac in re vocabu-
 lum esse dudum docuit Spanh.
 ad Callim. Hymn. in Del. v. 279.

ἐν ᾧ Θησεύς —] „Nimirum
 Minos, rex Cretae, necis Androgei,
 filii sui, vindicandae causa Athe-
 nienses oppugnatum venerat: sed
 discessit tandem hac lege, ut ipsi
 nono quoque anno tributi loco Cre-
 tam mitterent septenas virgines to-
 tidemque pueros, qui devorarentur
 a Minotauro in Labyrintho. Hi sunt
 οἱ δὲς ἐπτά ἐκείνοι. Theseus,
 quum tertia tributi periodo (ποτέ)
 hoc in numero esset, occidit Mino-

taurum, rediitque cum comitibus
 salvus, h. e. καὶ ἔσωσέ τε καὶ αὐ-
 τὸς ἐσώθη. Plut. Thes. c. 15 sq.
 Pausan. I. 27. p. 67. FISCHER.
 Cf. Plat. Legg. IV. p. 706 A. Ca-
 tull. Epith. Pel. et Thetid. v. 76 sq.
 Virg. Aen. VI. 20 sq. Ov. Met.
 VIII. 170 sq.

B. θεωρίαν ἀπάξειν] De
 θεωρίαις s. sacris legationi-
 bus, etiam Deliacis, dixerunt prae-
 ter alios Spanhem. ad Callimach.
 hymn. in Delum 314. Duker. ad
 Thucyd. III. 104. V. 6. Boeckh.
 Staatshaushalt I. p. 230 sqq. Meier.
 De sacris legationibus Commentat.
 Halis Sax. 1837. 4. Hermann.
 Gottesdienstl. Alterthümer der Grie-
 chen §. 31. Nominis sic usurpati
 origo repetenda videtur a θεός et
 ᾠρα, cura, ᾠρεύω, curo, tueor,
 vel ᾠρέω, quod Suidas memorat,
 ita ut eo rerum sacrarum cura-
 tio designetur; unde etiam ipsi le-
 gati dicti sunt θεωροί et navis,
 qua vehebantur, θεωρίς. Quam-
 quam alii illud ubique a θεῶσθαι
 deducunt. v. Valcken. ad Ammon.
 p. 92. Ruhnk. Epist. crit. p. 100
 et Lobeck. Pathol. ling. Gr. p. 275.

ἔτι ἐξ ἐκείνου κατ' ἐνιαυτὸν τῷ θεῷ πέμπουσιν. ἐπειδὴ οὖν ἄρξονται τῆς θεωρίας, νόμος ἐστὶν αὐτοῖς ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ καθαρῆν τὴν πόλιν καὶ δημοσίᾳ μηδὲνα ἀποκτινύναι, πρὶν ἂν εἰς Ἀθήλῳν τε ἀφίκηται τὸ πλοῖον καὶ πάλιν δεῦρο· τοῦτο δ' ἐνίοτε ἐν πολλῷ χρόνῳ γίγνεται, ὅταν τύχῳσιν ἄνεμοι ἀπολαβόντες αὐτοὺς. ἀρχή

B. καθαρῆν] Sic Bodl. Vat. Coisl. Vindobonenses, Veneti, Par. CGHL Angel. Ambr. Flor. a c d in Zitt. pro vulg. καθαρῆν.

Ἀθήλῳν τε] ts cum Bekkero addidimus e Vat. Tubing. Ven. II Vind. Par. G Ambr. Om. Hermannus cum Bodl. et ceteris.

ἄνεμοι] Articulum οἱ vulgo ante ἄνεμοι interpositum omnes omitunt praeter Par. E, quem Stephanus est secutus. ἄνεμοι τύχῳσιν Ambros.

μήτε τις] Bodl. Tub. Flor. d μὴ δὲ τις, quod fortasse verum, modo μηδὲ scribatur, ut edidit Herm. Solere enim ita μηδέ post μήτε inferri, sicubi postremum vocabulum cum vi et pondere accedit, ad Apologiam p. 19 D ostendimus.

D. φαμέν μέντοι] Bodl. μέντοι pro vulg. τι. Coisl. Tub. Vat. Ven. AΞII Par. CEGHI Aug. Flor. a b c d m φαμέν τοι. Verum conjectura assecutus Heindorfus est.

καλὸν γέ τι] V. οὐ καλὸν καὶ ἀγ. Istud οὐ in Bodl. Vat. Tub. Ven. II Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. a c d i m omissum Heindorfus et Bekkerus in αὐ commutarunt. Nobiscum consentit Herm. Dein γέ τι, pro quo Bekker. e Ven. II γέ τοι dedit, e Bodl. Tub. Vat. Vind. Φ Par. C Ambr. al. restitimus.

ἀκούει, τὰλλα κωφὰ καὶ τυφλά, servatam apud Plat. De Fortuna c. 3 et De Alexandri fort. II. 3, quam respexit Cic. Tusc. I. 20, ubi v. Davisius. Itaque Plato metrum sustulit, sententiam servavit.

C. τι τῶν ὄντων] h. e. τῶν ὄντων ὄντων, idearum, quae solae afferunt veritatis scientiam et cognitionem. Sic τὰ ὄντα etiam alibi intellegenda.

ἔῶσα χαίρειν τὸ σῶμα] i. e. non utens corporis opera et ministerio. — ὀρέγεσθαι τοῦ ὄντος est cognoscere studere rei cuiuspiam naturam. Nam τὸ ὄν i. e. quod τὸ ὄντως ὄν.

καὶ ἐνταῦθα] etiam tum, cum cogitat et cognoscere studet naturam vimque rerum.

D. αὐτὴ καθ' αὐτὴν γίγν.] h. e. sola et in se quasi collecta. Cf. Max. Tyr. I. p. 8.

εἶναι δίκαιον αὐτό] iustum ipsum i. e. per se spectatum, in se absolutum, ideam iusti. Male quidam αὐτό exterminavit. Vere Olymp. interpretatur ἰδέαν

τοῦ δικαίου, speciem et formam iustitiae, v. Cic. Tusc. I. 24, conf. ad Phaedr. p. 247 E.

Τί δὲ δὴ τὰ τοιάδε] ut Cratyl. p. 406 B. Soph. p. 266 C ibique Heindorf. Xen. Mem. III. 1, 10, conf. ad Gorg. 501 E.

Φαμέν μέντοι] Ita μέντοι in responsionibus aientibus ponitur saepissime. Infra p. 68 B οὐ πολλὴ ἂν ἀλογία εἴη; Πολλὴ μέντοι νῆ Δία. Ibid. p. 73 D καὶ ἄλλα πον μυρία τοιαῦτ' ἂν εἴη. Μυρία μέντοι νῆ Δία. Ibid. p. 81 D εἰκός γε, ὦ Σώκρατες. Εἰκός μέντοι, ὦ Κέρβης. Phileb. p. 18 A ἀλλὰ τί δήποτε πρὸς ἡμᾶς ὁ λόγος οὗτος νῦν εἴρηται; Σωκρ. Ὁρθῶς μέντοι τοῦθ' ἡμᾶς — ἠρώτημε Φίληβος. Xen. Cyr. I. 4, 19 bis. Ar. Equ. 168. Alia collegit Heindorfus Spec. Crit. p. 16. Lectio vulgata errore librorum orta videtur. Ceterum αὐτὸ τὸ δίκαιον, ἀγαθόν καὶ καλόν rursus est idea iusti, boni et pulcri s. iustum, bonum et pulcrum per se spectatum, quod ex Platonis sententia ab omni corporea lae im-

τοιούτων τοῖς ὀφθαλμοῖς εἶδες; Οὐδαμῶς, ἢ δ' ὅς. Ἄλλ' ἄλλη τινὶ αἰσθηθεῖ τῶν διὰ τοῦ σώματος ἐφήσω αὐτῶν; λέγω δὲ περὶ πάντων, οἷον μεγέθους πέρι, ὑγιείας, ἰσχύος, καὶ τῶν ἄλλων ἐνὶ λόγῳ ἀπάντων τῆς οὐσίας, ὃ τυγχάνει ἕκαστον ὄν. ἄρα διὰ τοῦ σώματος αὐτῶν τάληθέστατον θεωρεῖται, ἢ ὧδ' ἔχει. ὅς ἂν μάλιστα ἡμῶν καὶ ἀκριβέστατα παρασκευάσῃται αὐτὸ ἕκαστον διανοηθῆναι, περὶ οὗ σκοπεῖ, οὗτος ἂν ἐγγύτατα ἴοι τοῦ γινῶναι ἕκαστον; Πάννυ μὲν οὖν. Ἄρ' οὖν ἐκεῖνος ἂν τοῦτο ποιήσειε καθαρώτατα, ὅστις ὅ τι μάλιστα αὐτῇ τῇ διανοίᾳ ἴοι ἐφ' ἕκαστον, μήτε τὴν ὄψιν παρατιθέμενος ἐν τῷ διανοεῖσθαι μήτε τινὰ ἄλλην αἰσθησιν. ἐφέλκων μηδεμίαν μετὰ τοῦ λογισμοῦ, ἀλλ' αὐτῇ καθ' αὐτὴν εἰλικρινεῖ 66 νεῖ τῇ διανοίᾳ χρώμενος αὐτὸ καθ' αὐτὸ εἰλικρινές ἕκα-

αὐτῶν τάληθέστατον] V. τάληθέστατον αὐτῶν invitis codd. plurimis, ex quibus Bodl. αὐτῶν τὸ ἀληθέστατον crasi neglecta.

E. μήτε τινὰ] τινὰ haud dubie propter seq. μηδεμίαν extrusum recte tuentur Bodl. Vat. Ven. II Tub. Vind. Φ Ambr. Flor. i. v. ann. Zitt. habet οὐδὲμίαν.

P. 66. εἰλικρινές] εἰλικρινές cum spiritu aspero Bodl. Flor. i,

mune ac liberum, nullique mutationi obnoxium, revera est (ὄντως ἔστιν), cum ea, quae sub sensus cadunt, perpetua fluctuentur agitatione neque certam efficiant veritatis cognitionem.

καὶ τῶν ἄλλων — τῆς οὐσίας] Verba hoc modo iungenda sunt: καὶ περὶ τῆς οὐσίας τῶν ἄλλων ἐνὶ λόγῳ ἀπάντων, ὃ τυγχάνει ἕκαστον ὄν. [Krüger §. 47, 9, 19.] Formulam ἐνὶ λόγῳ ita positam habes Gorg. p. 524 D. Indicat vero οὐσία rerum vim ac naturam, quam vulgo essentiam vocant, ita ut cogitandum sit h. l. de eo, quod alibi nomine εἶδους et ἰδέας vocatur. Itaque ista, ὃ τυγχάνει ἕκαστον ὄν, addita sunt nomini οὐσίας explicationis causa iudice etiam Heindorfio. Menon. p. 72 B μελέτης περὶ οὐσίας, ὃ τι ποτ' ἔστι.

E. ἀκριβέστατα παρασκ.] h. e. qui maxime ac diligentissime se assuefecerit, comparaverit.

αὐτὸ ἕκαστον] unum quod-

PLAT. PHAED.

que per se spectatum, h. e. cuiusque rei naturam et formam s. ἰδέαν.

μήτε τὴν ὄψιν παρατιθέμενος] Tertull. De anima c. 18. p. 246. T. IV. ed. Semler., qui hunc locum Latinum fecit, haec verba reddidit sic: neque visionem proponens, ut legisse videatur προτιθέμενος. Sed vulgatum, quod est sibi apponens, adhibens in societatem, satis defenditur eo, quod deinde sequitur ἐφέλκων.

μήτε τινὰ ἄλλην — μηδεμίαν] Advertas οὐδεὶς post τις illatum. Infra p. 74 A ex optimis dedimus: οὐδ' ἄλλο τι τῶν τοιούτων οὐδέν, ubi τι vulgo aberat. Gorg. p. 463 A πράγματός τινός ἐστι μόριον οὐδενός. Eur. Alcest. 79 ἀλλ' οὐδὲ φίλον τις πέλας οὐδεὶς, quem locum a Monkio aliisque sollicitatum recte defendit Hermannus. conf. Schaefer. Indic. ad Greg. Corinth. v. τις.

P. 66. ἀλλ' αὐτῇ καθ' αὐτὴν εἰλικρινεῖ τῇ διανοίᾳ χρο.] Quod omitti poterat εἰλικρι-

στον ἐπιχειροῖ θηρεύειν τῶν ὄντων, ἀπαλλαγείς ὁ τι μάλιστα ὀφθαλμῶν τε καὶ ὠτων καὶ ὡς ἔπος εἰπεῖν ξύμπαντος τοῦ σώματος, ὡς ταράττοντος καὶ οὐκ ἑώντος τὴν ψυχὴν κτήσασθαι ἀλήθειάν τε καὶ φρόνησιν, ὅταν κοινωνῆ; ἄρ' οὐχ οὗτός ἐστιν, ὃ Σιμμία, εἶπερ τις καὶ ἄλλος, ὁ τευξόμενος τοῦ ὄντος; Ὑπερφυῶς, ἔφη ὁ Σιμμίας, ὡς ἀληθῆ λέγεις, ὃ Σώκρατες.

B Cap. XI. Οὐκοῦν ἀνάγκη, ἔφη, ἐκ πάντων τούτων

quod dedit Herm. coll. Ruhuk. ad Tim. p. 264 et Schneider. ad Remp. V. p. 477 A. v. annot. Dein vett. editt. ἐπιχειροῖ. Bodl. Vat. Ven. II Tub. Aug. Vind. T Par. ACGH Ambr. Flor. a b c d i Zitt. ἐπιχειροῖ. Coisl. ἐπιχειροῖη, quod e Bodl. superscriptum; idque suscepit Bekker. Sed utraque forma cum Platoni videatur placuisse, singulis locis codicum testimonia audienda sunt. v. Schneider. ad Remp. IV. p. 428 D.

καὶ ἄλλος] καὶ e Bodl. Tub. Ven. II Vind. Φ et T Par. G Ambr. additum.

νεῖ, eo dilucidius explicatur pronomen αὐτῆ. Pari ratione usurpatur αὐτὸς μόνος, de quo v. Toup. ad Longin. p. 526 ed. Weisk. Heindorf. ad Charm. p. 156 B. Schaeffer. ad Lamb. Bos. p. 308. Dicitur autem εἰλικρινές, quidquid nihil dispar sui et dissimile admixtum habet, sincerum, purum. Valckenar. in Schol. ad N. F. ed. Wassenbergh. T. II. p. 181: „In glosariis redditur integrum, sincerum. Abstrusior aliquanto compositionis ratio. Videtur tamen vox formata ab εἶλος et κρῶνα. Hoc notat secernere. εἶλος et ἴλος et ἴλη globus est, ab εἰλεῖν et ἴλεῖν, volvere. Ex hac origine εἰλικρινές proprie significatvolvendo s. volubili agitatione secretum, atque adeo cribro purgatum.“ Partem veri vidit Guyetus ad Hesych., qui εἰλικρινές interpretatur verbis καθαρόν, ἀδόλον, ἀληθές, φανερόν. De constructione conf. De Rep. V. p. 459 D συχρῶ τῷ ψεύδει καὶ τῇ ἀπάτῃ ἡμῖν δεήσειν χρῆσθαι τοῖς ἀρχόντας. Ibid. I. p. 344 D καταντήσας — πολλὸν τὸν λόγον. Ibid. VIII. p. 562 D πολλὴν παρέχουσι τὴν ἐλευθερίαν. Ibid. X. p. 574 D. Epistol.

VII. p. 332 B πιστοῖς ἐχρήσατο τοῖς κοινοῖς. Dem. in Mid. p. 16 ed. Spald. ὅτι καὶ τούτῳ πολλῶ χρήσεται λόγῳ. Antoc. adv. Alc. p. 33. 14 St. πολλῆ τῆ νίκη χρήται. — ἐπιχ. θηρεύειν. Platonem eiusque imitatores saepe usos esse vocabulis venatoriis de vero investigando docuerunt Davis. ad Cic. De N. D. I. 30. Wytttenbach. in Epist. Crit. p. 259 ed. Lips. Heusdius in Spec. Crit. p. 88. Astius ad Polit. p. 492 et ad Legg. p. 97.

ὡς ἔπος εἰπεῖν] propemodum dixerim, prope, quod inservit leniendis et restringendis verbis sequentibus ξύμπαντος τοῦ σώματος. v. ad Symp. p. 179 A. Remp. I. p. 341 B. Gorg. p. 450 B. Mox εἶπερ τις καὶ ἄλλος dicitur, ut supra p. 59 A εἶπερ τις πάποτε καὶ ἄλλος, et saepissime alibi, veluti Xen. Symp. II. 6. Mem. III. 6. 2. An. I. 3, 15. II. 4, 6. Cyr. III. 3, 42. V. 1, 6. Vid. Heindorf. ad h. l. et Valckenar. ad Phoeniss. 1589. 1590, ut certum sit istud καὶ recte ex codd. optimis additum esse.

ὑπερφυῶς — ὡς ἀληθῆ] Infra p. 96 A θαναμαστῶς ὡς.

παρίστασθαι δόξαν τοιάνδε τινὰ τοῖς γνησίως φιλοσόφοις, ὥστε καὶ πρὸς ἀλλήλους τοιαύτ' ἄττα λέγειν, ὅτι Κινδυνεύει τοι ὥσπερ ἀτραπὸς τις ἐκφέρειν ἡμᾶς μετὰ

Cap. XI. B. ἀτραπὸς τις ἐκφέρειν] τις add. Bodl. Tub. Vat. Ven. II Vind. Φ Ambr. Flor. d. Sic ὥσπερ sequente τις saepe positum, veluti De Rep. II. p. 427 δοκεῖ μοι εἶναι (ἢ πόλις) ὥσπερ ὕγιής τις. Dein ἡμᾶς ἐκφέρειν pro ἐκφέρειν ἡμᾶς Vat. Ven. II Vind. Φ Par. G et alii nonnulli. Quod dederunt Bekker. et Turicenss. Sed Herm. ἡμᾶς ob incertam sedem eiecit.

Cap. XI. B. παρίστασθαι δόξαν] v. p. 58 E ibique annot.

ὅτι Κινδυνεύει τοι] Ante omnia tenendum loquentes introduci philosophos ipsos, ita ut ὅτι positum sit abundanter, quod pervulgatum est. v. Matth. §. 624. Deinde inde a Κινδυνεύει τοι sequitur ipsa philosophorum sententia recta oratione enuntiata. Ea vero, si quid iudicare possumus, haec est: Videtur sane tamquam semita quaedam (h. e. via arctior nec vero lata, qualis est via regia) nobis relicta esse, cuius ope in quaerenda rerum veritate, cum sensuum perturbationes maximae sint, ad propositum, h. e. ad veritatis cognitionem educamur. Quippe ἀτραπὸς, semita, nihil aliud intellegitur, opinor, quam λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος, ut infra p. 67 D dicitur, sive τὸ ἀπαλλάττεσθαι τοῦ σώματος καὶ αὐτῆ τῆ ψυχῆ θεᾶσθαι αὐτὰ τὰ πράγματα (DE.). Nam eiusmodi seiunctio animi Socrati Platonicō videtur quasi κἀθαρσις quaedam esse, sicut e p. 66 E et 67 A intellegitur. Recte igitur Olympiodorus: φησὶν, ὅτι ταύτην τὴν ἀτραπὸν ἴτεον, οὐ τὴν λεωφόρον· τοῦτ' ἐστὶ, καθαρτικὸς ζητήσις. ἀτραπὸς γὰρ ἢ ὁδὸς, τοῦτ' ἐστὶν ἢ κἀθαρσις ἢ ἐπὶ τὴν θεωρίαν ἄγουσα. οὐ τὴν λεωφόρον (viam regiam) δὲ δεῖ λέναι, τοῦτ' ἐστὶ τὴν τῶν πολλῶν. καὶ Πυθαγόρειον γὰρ ἦν παράγγελμα φεύγειν τὰς λεωφόρους. Nam ut Plato non cogitaverit de praecepto isto Pythagorico, de quo v. Rittershus. ad Porphyry. De vit. Pythag. §. 42 et

Gyrald. De symbol. Pythagor. p. 103 in ed. Hierocl. Lond. 1673 laudatus ille a Wytttenbachio ad h. l., tamen dubium non est, quin ἀτραπὸς intellegenda sit solutio animi a corpore, qualis perfecta mortalibus morte demum obtingit. Quae quidem semita ideo vocatur, quia ea tamquam angusta quaedam via philosophis relicta est, qua in tantis sensuum perturbationibus possint elucetari ad absolutae veritatis cognitionem. Etenim ἐκφέρειν, educere, nunc significat: ex difficultatibus educere, quae sensuum perturbationibus ac ludibriis oriuntur, ita ut ad certum aliquem finem perveniatur. Nam proprie est: ex impedito in liberum educere, e loco septo in apertum efferre. v. Soph. Aiac. 7. Oed. Col. 1424, quos locos attulit etiam Heindorf., et Plat. Cratyl. p. 386 A. Iam vero semita illa hoc facere dicitur ἐν τῇ σκέψει, h. e. in investigatione veritatis. Nam de hac cogitandum esse ex universae disputationis ratione apparet. Ita supra p. 65 A ἐν τῇ ζητήσει et p. 66 D πρὸς τὸ σκοπεῖν τι ac plenius paullo De Rep. I. p. 336 E ἐν τῇ τῶν λόγων σκέψει. Fieri autem illud videri dicitur μετὰ τοῦ λόγου, i. e. ratione ducente vel adiuvante, dum sola mente veritatem rerum cognoscere studeamus sensibus corporis non adhibitis, cum aliter faciant illi, qui τὴν λεωφόρον ingrediuntur et in rerum cognitione etiam sensuum et corporis ope utuntur, licet iis varie perturbentur. Pertinet enim μετὰ τοῦ λόγου sine dubio ad ἀτραπὸς τις ἐκφέρειν

τοῦ λόγου ἐν τῇ σκέψει, ὅτι, ἕως ἂν τὸ σῶμα ἔχωμεν καὶ ξυμπεφυρμένη ἢ ἡμῶν ἢ ψυχὴ μετὰ τοῦ τοιούτου κακοῦ, οὐ μὴ ποτε κτησώμεθα ἱκανῶς οὐ ἐπιθυμοῦμεν.

κτησώμεθα] Bekker. e solo Vind. Φ et Ambr. κτησώμεθα dedit praeceptum Dawesi secutus, quod tamen fide indignum esse hodie nemo dubitavit; v. Hermann. ad Eur. Med. 300 et nos ad Phil. p. 21 E ac Remp. VI. p. 492 E.

neque commode cum ἐν τῇ σκέψει connecti potest, quo facto omissio articulo μετὰ λόγον requiretur, sicuti scriptum legitur Tim. p. 27 D. Protag. p. 324 B. Phaedr. p. 256 A. Theaet. p. 206 E atque hic quoque unus codex Par. E scriptum exhibet. Sed μετὰ τοῦ λόγου omnino arctius convenit cum prosopopoeia, qua ἢ ἀτραπὸς dicitur ἐκφέρειν, quandoquidem μετὰ significat ope et auxilio, de quo usu v. ann. ad Remp. VIII. p. 560 D. IX. p. 571 B. Soph. p. 265 C μετὰ λόγον τε καὶ ἐπιστήμης θείας (τὴν φύσιν αὐτὰ γεννᾶν). Et sic μετὰ τοῦ σώματος dicitur Phaed. p. 66 E εἰ — μὴ οἶόν τε μετὰ τοῦ σώματος μηδὲν καθαρῶς γινῶναι. Itaque istud μετὰ τοῦ λόγου non sollicitandum fuit, quod fuit qui eliminandum arbitretur. Nec vero ἀτραπὸν recte interpretatus est Franc. Winiewski in Indic. Lectt. Academ. Monaster. a. 1853 — 54: quaestionis viam et rationem, quae ad exitum perducit, cum in aprico sit eo nomine non veri quaerendi viam, sed ipsam veritatis quaerendae et inveniendae facultatem significari per animi a corpore liberationem philosophis concessam. Iam vero etiam in proximis criticis, quomodo istud ὅτι accipiendum esset, vehementer dubitaverunt. Nam alii synesin commenti sunt, ut C. F. Hermann. (Abhandl. u. Beitr. p. 71), quibus viam praeivit Stephanus locum sic interpretans: Videtur nos via quasi quaedam in hac quaestione adducere eo, ut statuamus nunquam fore, ut, quamdiu animus etc. Alii ad ellipsin confugerunt, ut Winiewski l. c., qui ὅτι ex omissio aliquo verbo suspensum esse putat,

nisi quis malit ad κινδυνεύει intellegere αὐτὴ ἢ δόξα. Denique nuper Herm. Schmidt. in Progr. Wittenbergens. a. 1846 et in libro: Kritischer Commentar zu Platos Phaedo I. p. 76 scribendum contendit: μετὰ τοῦ λόγου, quod interpretatur: huius doctrinae ope, mit Hilfe dieses Satzes, ut ὅτι inde suspensum putetur. Sed haec Schmidtii ratio valere propterea non potest, quod primum quidem isto μετὰ τοῦ λόγου aegre caruerimus; deinde vero etiam nemo quisquam dixerit: es scheint uns ein schmaler Weg mit Hilfe dieses Satzes herauszuführen, quandoquidem angustae viae non potuit recte talis doctrina vel potius talis sententia tribui. De synesi autem vel ellipsi, quam alii statuerunt, ita existimamus, ut alterum eiusmodi exemplum donec prolatum fuerit, de eius veritate dubitari licere arbitremur. Nec vero his tantis machinis ad explicandum locum opus fuit. Nam ὅτι simpliciter est quia. Quippe affertur causa et ratio, cur angusta tantum via ex istis difficultatibus educere videatur, ita ut semitae notio in antegressis primaria sit. Nam quamdiu animus cum hoc corpore mortali colligatus sit, nunquam futurum esse iudicatur, ut ἱκανῶς, satis, iusto modo, assequamur veri scientiam. Relinquitur igitur hoc unum, quod sane arctiori alicui viae est simillimum, ut qui eius studiosi sint, ii animum a corporis societate, quantum fieri possit, avocatum in se colligant et ista ratione mori discant. Verum satis haec de loco subdifficili. Quod vero τοι post Κινδυνεύει interpositum est, id quo sensu accipien-

φαμέν δὲ τοῦτο εἶναι τὸ ἀληθές. μυρίας μὲν γὰρ ἡμῶν ἀσχολίας παρέχει τὸ σῶμα διὰ τὴν ἀναγκαίαν τροφήν. ἔτι δέ, ἂν τινες νόσοι προσπέσωσιν, ἐμποδίζουσιν ἡμῶν τὴν τοῦ ὄντος θήραν. ἐρώτων δὲ καὶ ἐπιθυμιῶν καὶ φόβων καὶ εἰδώλων παντοδαπῶν καὶ φλυαρίας ἐμπύπλησιν ἡμᾶς πολλῆς, ὥστε, τὸ λεγόμενον, ὡς ἀληθῶς τῶ ὄντι ὑπ' αὐτοῦ οὐδὲ φρονῆσαι ἡμῶν ἐγγίγνεται οὐδέποτε οὐδέν. καὶ γὰρ πολέμους καὶ στάσεις καὶ μάχας οὐδὲν ἄλλο παρέχει ἢ τὸ σῶμα καὶ αἱ τούτου ἐπιθυμίαι. διὰ γὰρ τὴν τῶν χρημάτων κτήσιν πάντες οἱ πόλεμοι ἡμῶν γίνονται, τὰ δὲ χρήματα ἀναγκαζόμεθα κτᾶσθαι διὰ τὸ σῶμα, δουλεύοντες τῇ τούτου θεραπείᾳ. καὶ ἐκ τούτου ἀσχολίαν ἄγομεν φιλοσοφίας περὶ διὰ πάντα ταῦτα. τὸ δ' ἔσχατον πάντων, ὅτι, εἰάν τις ἡμῶν καὶ σχολὴ γένηται ἀπ' αὐτοῦ καὶ τραπώμεθα πρὸς τὸ σκοπεῖν τι, ἐν ταῖς ζητήσεσιν αὐτῶν πανταχοῦ παραπίπτον θόρουβον παρέχει καὶ

C. ἐρώτων δὲ καὶ V. τε, quod e Bodl. Tub. Vat. Ven. II Vind. Φ Par. G Ambr. correctum.

ἡμῶν γίνονται] ἡμῶν e Bodl. Vat. Ven. II Vind. Φ Par. G Ambros. restitutum.

D. διὰ πάντα ταῦτα] Sic codd. plurimi et optimi. Vett. editi. δ. ταῦτα πάντα.

dum sit, nemo dubitaverit; v. supra ad p. 63 A et Gorg. p. 499 B. 458 B al.

μυρίας — ἀσχολίας] Locum summam refert Plut. Consol. ad Apoll. T. VI. p. 410 ed. Reisk. sqq.

C. καὶ φλυαρίας ἐμπ.] h. e. denique omnino nugis et rebus futilibus, de qua ratione dicendi v. ad Gorg. p. 490 C. Men. p. 81 B. Praeterea audias Olympiodor. p. 29 φλυαρίαν καλεῖ ὁ Πλάτων πᾶν τὸ περιττόν, οὐ μόνον τὸ ἐν λόγοις, ἀλλὰ καὶ τὸ ἐν ἔργοις. conf. Sympos. p. 211 E.

τὸ λεγόμενον] ut dicitur solet. Videntur verba ὑπὸ τινος οὐδὲ φρονῆσαι δύνασθαι proverbii usum habuisse, cuius tamen rei exempla non in promptu habemus. Optime autem observavit Wyttenhachius, quod vulgo nondum satis cognitum est, solere ὡς ἀληθῶς

et item τῶ ὄντι citatis locis atque sententiis addi. Lach. p. 196 D κατὰ τὴν παροιμίαν ἄρα τῶ ὄντι οὐκ ἂν πᾶσα ὅς γινώη οὐδ' ἂν ἀνδρεία γένοιτο. Xen. Sympos. IV. 8 ὄψον μὲν γὰρ δὴ ὄντως εἰκεν εἶναι τὸ κρόμμον, ubi vulgo οὕτως scribitur. Hoc loco ὡς ἀληθῶς et τῶ ὄντι positum ἐκ παραλλήλου, ut Lach. p. 183 D ἐν τῇ ἀληθείᾳ ὡς ἀληθῶς. Cum proximis conf. Tim. p. 42 et 86. Cic. De fin. I. 13.

D. ἀσχολίαν ἄγομεν φ. π.] h. e. impedimur, ne ponere studium in philosophia possimus, interprete Fischero. — Idem παραπίπτειν recte iudicavit dici ea, quae interveniunt casu et fortuito atque adeo tempore alieno. Ceterum de labe, qua animus per corporis communionem affectus est, contulisse iuvabit praeclarum locum Rep. X. p. 611 BCD.

ταραχήν καὶ ἐκπλήττει, ὥστε μὴ δύνασθαι ὑπ' αὐτοῦ καθορᾶν τἀληθές, ἀλλὰ τῷ ὄντι ἡμῖν δέδεικται, ὅτι, εἰ μέλλομέν ποτε καθαρῶς τι εἶσεσθαι, ἀπαλλακτέον αὐτοῦ καὶ αὐτῇ τῇ ψυχῇ θεατέον αὐτὰ τὰ πράγματα· καὶ τότε, ὡς ἔοικεν, ἡμῖν ἔσται οὐ ἐπιθυμοῦμέν τε καὶ φαιεν ἐρασταὶ εἶναι, φρονήσεως, ἐπειδὴν τελευτήσωμεν, ὡς ὁ λόγος σημαίνει, ζῶσι δὲ οὐ. εἰ γὰρ μὴ οἶόν τε μετὰ τοῦ σώματος μηδὲν καθαρῶς γνῶναι, δυοῖν θάτερον, ἢ οὐδαμοῦ ἔστι κτήσασθαι τὸ εἰδέναι, ἢ τελευτήσασιν· τότε 67 γὰρ αὐτῇ καθ' αὐτὴν ἔσται ἢ ψυχῇ χωρὶς τοῦ σώματος, πρότερον δ' οὐ. καὶ ἐν ᾧ ἂν ζῶμεν, οὕτως, ὡς ἔοικεν, ἐγγυτάτω ἐσόμεθα τοῦ εἰδέναι, ἔαν ὅ τι μάλιστα μηδὲν ὀμιλῶμεν τῷ σώματι, μηδὲ κοινωνῶμεν, ὅ τι μὴ πᾶσα ἀνάγκη, μηδὲ ἀναμιμπλώμεθα τῆς τούτου φύσεως, ἀλλὰ καθαρῶς ἀπ' αὐτοῦ, ἕως ἂν ὁ θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς. καὶ οὕτω μὲν καθαρὸι ἀπαλλακτόμενοι τῆς τοῦ σώματος ἀφροσύνης, ὡς τὸ εἰκός, μετὰ τοιούτων τε ἐσό-

E. ἔσται ἢ ψυχῇ] Sic Bodl. Vind. Φ Par. G Ambr. pro vulg. ἢ ψυχῇ ἔσται.

δέδεικται] h. e. exploratum est, manifestum exstitit. Morus Indic. ad Isocr. Panegy. s. v. „δέδεικται, inquit, exemplis et usu demonstratum est, constat.“ Recte. Dictionem ex Aristot., Plut., Plotin. illustrat Wyttenbach. ad h. l. Itaque non opus est cum Heusdio corrigere δέδοκται.

E. οὐ ἐπιθυμοῦμεν, — φρονήσεως] Appositio relativo, non principi nomini accommodata, de qua constructione v. Apolog. p. 41 A. Menon. p. 94 D et Symp. p. 206 A ibique ann. coll. Matthiae Gr. §. 474 b.

τότε γὰρ αὐτῇ καθ' αὐτὴν ἢ ψ. κ. τ. λ.] Tum enim demum secum ipse vivet animus secretus a corpore nec unquam antea; atque dum vivemus, ita demum quam proxime ad veram scientiam accedemus, si, quam maxime fieri possit, nos a corporis consuetudine et communione, nisi ubi sum-

ma eius necessitas inciderit, abstrahamus caveamusque, ne vitiosa corporis natura inquinemur, sed potius nos ab ea puros illibatosque servemus, donec nos deus ipse exsolverit. Pro ἐν ᾧ, dum, quam diu, parum considerate Hirschig. ἕως scripsit, illud Graecum esse negans. Tu ne credas; v. De Rep. VI. p. 498 B. VH. 516 E. Symp. 185 D. 207 D coll. Lamberti. Bos. De ellips. p. 555 ed. Schaeff. De verbo ἀναμιμπλᾶναι polluendi, inquinandi significatione posito v. Ruhnkens. ad Tim. Gloss. p. 30.

P. 67. μετὰ τοιούτων] Intell. καθαρῶν. Verba τοῦτο δ' ἐστὶν ἴσως τὸ ἀληθές Schützius immerito in glossematis suspicionem vocavit offensus maxime isto ἴσως. Verum solere hanc vocem a scriptoribus Atticis urbanitatis et modestiae causa etiam in re certa et explorata usurpari docuerunt Locella ad Xenoph. Ephes. p. 188. Schae-

μεθα καὶ γνωσόμεθα δι' ἡμῶν αὐτῶν πᾶν τὸ εἰλικρινές· τοῦτο δ' ἐστὶν ἴσως τὸ ἀληθές. μὴ καθαρῶ γὰρ καθαρῶ B ροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ἦ. Τοιαῦτα οἶμαι, ὧ Σιμμία, ἀναγκαῖον εἶναι πρὸς ἀλλήλους λέγειν τε καὶ δοξάζειν πάντας τοὺς ὀρθῶς φιλομαθεῖς. ἢ οὐ δοκεῖ σοι οὕτως; Παντός γε μᾶλλον, ὧ Σώκρατες.

Cap. XII. Οὐκοῦν, ἔφη ὁ Σωκράτης, εἰ ταῦτ' ἀληθῆ, ὧ ἑταῖρε, πολλῇ ἐλπίς ἀφικομένῳ οἱ ἐγὼ πορεύομαι, ἐκεῖ ἱκανῶς, εἶπερ που ἄλλοθι, κτήσασθαι τοῦτο, οὐ ἕνεκα ἢ πολλῇ πραγματεία ἡμῖν ἐν τῷ παρελθόντι βίῳ γέγονεν, ὥστε ἢ γε ἀποδημία ἢ νῦν μοι προστεταγμένη μετὰ ἀγα-

P. 67. τὸ ἀληθές.] τἀληθές unus Par. I, ut scripsit Bekker.

B. λέγειν τε καί] τε e Vat. Tub. Ven. II Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. d restitutum.

Παντός γε] Steph. errore πάντως.

Cap. XII. ἐκεῖ ἱκανῶς] V. ἱκανῶς ἐκεῖ refragantibus Bodl. Ven. Pal.

παρελθόντι] V. παρόντι, quod e Bodl. Tubing. Aug. Coisl. Vat.

Ven. AΞII septem Vindob. Par. CGIL Ambr. Flor. emendatum. Referatur enim istud παρελθόντι eo, quod antea dictum est ἀφικομένῳ. Quo neglecto temere scripserunt παρόντι.

νῦν μοι] μοι Bodl. Tub. et pr. Ven. II. Vulgo ἐμοί.

fer. ad Longum p. 357. Astius ad Legg. p. 78 alii. v. Arist. Avv. 1496, ubi forsitan absonum, Thesmoph. 719. Dem. Phil. II. p. 66 R. ἴσως εἰκός.

B. μὴ καθαρῶ γὰρ —] Nam cum secundum Platonem similia a similibus cognoscantur, etiam purus tantum animus puram sinceramque idearum veritatem cognoscere poterit. Plut. de Iside et Osiride p. 352 D καθαρῶ γὰρ, ἢ φησὶν ὁ Πλάτων, οὐ θεμιτὸν ἀπτεσθαι μὴ καθαρῶ. Synes. Dione p. 50 A τῷ μὴ καθαρῶ γὰρ καθαρῶ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ἦ. Πλάτωνος ἀπεδέξαμεθα. Hierocles Comment. in Aur. Carm. p. 6 μὴ καθαρῶ γὰρ καθαρῶ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν ἦ. Plura Wyttenbach. Sed vel ex his putamus patere, quid statuendum sit de lectione quorundam librorum, μὴ καθαρῶν γὰρ. Conf. etiam Apolog. p. 30 C.

Cap. XII. ἐλπίς ἀφ. — κτήσασθαι] h. e. si quis venerit, quo ego abeo. Neque enim scriptum est: ἐμοί ἀφικομένῳ. Ne

vero aliquis futurum κτήσασθαι requirat, saepe numero post verba sperandi, putandi, dicendi simplex aoristus infertur, ubi res ipsa per se spectata significatur exclusa perpetuitatis, eventus, aliarum rationum notione. Itaque futuri temporis significatio non inest in infinitivo pendente, sed in verbo, unde constructio suspensa est. Quae cum ita sint, ἐλπίς — κτήσασθαι significat: speramus fore, ut olim assequamur, quo indicatur rem futuro tempore esse duraturam et mansuram; illud vero, ἐλπίς ἀφ. — κτήσασθαι est: speramus assequi s. speramus adeptionem rei, ita ut assequendi et adipiscendi notio per se sola tenenda sit seuncta futurae perpetuitatis et durationis cogitatione. Unde fit, ut aoristus saepe rei cito incidentis vel transeuntis significationem habere videatur. Similiter olim satuit etiam Hermann. ad Soph. Ajac. 1061. Mox: ἐλπίς ἐστὶν οὐ διὰ βίου ἤρων τυχεῖν. Xen. Cyrop. I. 5, 9 ἐλπίζουσι τῷ

θῆς ἐλπίδος γίγνεται καὶ ἄλλω ἀνδρὶ, ὃς ἡρεῖται οἱ παρεσκευάσθαι τὴν διάνοιαν ὥσπερ κενκαθαμένην. Πάνν μὲν οὖν, ἔφη ὁ Σιμμίας. Κάθαρσις δὲ εἶναι ἄρα οὐ τοῦτο ξυμβαίνει, ὅπερ πάλαι ἐν τῷ λόγῳ λέγεται, τὸ χωρίζειν ὅ τι μάλιστα ἀπὸ τοῦ σώματος τὴν ψυχὴν καὶ ἐθίσει αὐτὴν καθ' αὐτὴν πανταχόθεν ἐκ τοῦ σώματος συναγείρεσθαι τε καὶ ἀθροίξεσθαι, καὶ οἰκεῖν κατὰ τὸ δυνατόν καὶ ἐν τῷ νῦν παρόντι καὶ ἐν τῷ ἔπειτα μόνῃν D καθ' αὐτὴν, ἐκλυομένην ὥσπερ ἐκ δεσμῶν ἐκ τοῦ σώ-

C. παρεσκευάσθαι] παρασκευάσασθαι Vat. Ven. Φ Par. G Ambr. Flor. d male.

D. ἐκ δεσμῶν] Hoc ἐκ om. Bodl. Tub. Vat. Vind. Φ Flor. d. In Ven. a alterum ἐκ erasum. Ambros. totum hoc ἐκ δεσμῶν ignorat.

λέγειν εὐ πείθοντις ἀνθρώπους πολλὰ καὶ μεγάλα ἀγαθὰ διαπραξέσθαι, ubi non debet διαπραξέσθαι scribi. Lysias XIX. 7. Pl. De Rep. II. p. 369 A. Sed affatim exemplorum collegerunt Heindorf. ad h. l. et ad Protag. 316 B. Schaefer. ad Theocr. XXVII. 60, ad Demosth. T. I. p. 13. v. 16. R. et Lobeck. ad Phryn. p. 749 sqq. Matth. Gr. §. 501.

C. καὶ ἄλλω ἀνδρὶ] Opponuntur haec verba pronomini μοι in iis, quae proxime praecedunt: ἡ νῦν μοι προστεταγμένη. Professus autem est supra Socrates se sperare εἶναι τι τοῖς τετελευτηκόσι καὶ — πολὺ ἀμεινον τοῖς ἀγαθοῖς ἢ τοῖς κακοῖς.

οἱ παρεσκευάσθαι τὴν διάνοιαν ὥσπερ κενκαθ.] sibi mentem comparatam esse quasi purgatam, vel ut Wyttenbach. interpretatur: qui putat sibi mentem praeparatam esse quippe purgatam. Nimirum παρεσκευάσθαι proprie est alicui comparatum, acquisitum esse, h. e. alicui esse.

Κάθαρσις δὲ εἶναι — ξυμβαίνει] Solet nomen verbo συμβαίνει praemissum plerumque collocari in casu nominativo. Phileb. p. 55 A πολλή τις — ἀλογία ξυμβαίνει γίγνεσθαι, ἐάν τις τὴν ἡδονὴν ὡς ἀγαθὸν ἡμῖν τιθῆται, Parm. p. 134 A ἐκάστη τῶν παρ-

ἡμῖν ὄντων ἐκάστον ἀν ἐπιστήμη συμβαίνοι εἶναι. De Rep. IV. p. 438 E ἐπιστήμη — συνέβη καὶ αὐτὴ γενέσθαι. Sed idem illud verbo postpositum fere in casu accusativo collocatur. Phaed. p. 74 A ἄρ' οὖν συμβαίνει τὴν ἀνάμνησιν εἶναι μὲν ἀφ' ὁμοίων, εἶναι δὲ καὶ ἀπ' ἀνομοίων; Protag. p. 333 C συμβαίνει μέντοι ἴσως καὶ ἐμὲ τὸν ἐρωτῶντα καὶ τὸν ἀποκρινόμενον ἐξετάξεσθαι. Enimvero subiecto praemisso facillior est attractio. Nec tamen nominativus repudiandus est infra p. 80 B τάδε συμβαίνει — ὁμοιότατον εἶναι ψυχῇ, ubi vulgo erat ψυχῆν.

D. ὥσπερ ἐκ δεσμῶν ἐκ τοῦ σώματος] Solent Graeci in comparationibus, quando id, quocum aliquid comparatur, primum locum tenet, rei comparatae non praemittere praepositionem, sed eam ita reticere, ut ex antecedentibus intelligenda sit. De Rep. VIII. p. 545 E ὡς πρὸς παιδας ἡμᾶς παιζούσας, h. e. ὡς πρὸς παιδας πρὸς ἡμᾶς. Tim. p. 27 B ὡς εἰς δικαστὰς ἡμᾶς. Ibid. p. 79 A φαίνεσθαι ὡςπερ δι' αὐλῶνος τοῦ σώματος, ubi male Turicenses δι' ante αὐλῶνος omisso ante τοῦ σώματος inseruerunt διὰ. Protag. p. 337 E ὡςπερ ὑπὸ δαιτητῶν ἡμῶν συμβιβάζοντων. Theaet. p. 170 A ὡςπερ πρὸς θεοὺς ἔχειν τοὺς ἐν ἐκάστοις ἀρχοντας, ubi v. ann.

ματος; Πάνν μὲν οὖν, ἔφη. Οὐκοῦν τοῦτο γὰρ θάνατος ὀνομάζεται, λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος; Παντάπασι γ', ἢ δ' ὅς. Δύειν δὲ γε αὐτὴν, ὡς φαμεν, προθυμοῦνται αἰεὶ μάλιστα καὶ μόνοι οἱ φιλοσοφούντες ὀρθῶς, καὶ τὸ μελέτημα αὐτὸ τοῦτο ἐστὶ τῶν φιλοσόφων, λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ σώματος. ἢ οὐ; Φαίνεται. Οὐκοῦν, ὅπερ ἐν ἀρχῇ ἔλεγον, γελοῖον ἂν εἴη ἀνδρα παρασκευάζονθ' ἑαυτὸν ἐν τῷ βίῳ ὅ τι ἐγγυτάτω ὄντα τοῦ τεθνάναι οὕτω ξῆν, κ' ἀπειθ', ἤκοντος E αὐτῷ τούτου, ἀγανακτεῖν; οὐ γελοῖον; Πῶς δ' οὐ; Τῷ ὄντι ἄρα, ἔφη, ὦ Σιμμία, οἱ ὀρθῶς φιλοσοφούντες ἀποθνήσκουσιν μελετῶσι, καὶ τὸ τεθνάναι ἤκιστ' αὐτοῖς ἀνθρώπων φοβερόν. ἐκ' τῶνδε δὲ σκοπεῖ. εἰ γὰρ διαβέβληνται μὲν πανταχῇ τῷ σώματι, αὐτὴν δὲ καθ' αὐτὴν

τῶν φιλ. — ψυχῆς ἀπὸ σώματος.] Hic Bodl. [Bodl. τῆς cf. Stallb. ad p. 104 C.] Ven. Π. τῆς ψυχῆς addito articulo. Pro vulg. ἀπὸ τοῦ σώματος scripsimus ἀπὸ σώματος e Bodl. Tub. Aug. Vat. Coisl. Ven. A Vind. Φ Par. ACEGH Ambr. Flor. a d i m. In Ven. Π est τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος. Verisimile est utrumque articulum a grammatico additum esse, v. ad p. 83 C.

nostr. Legg. X. p. 905 B ὡς ἐν κατόπτροις αὐτῶν ταῖς πράξεσι καθωρακέναι. Itaque secundum hanc rationem ἐκ ante δεσμῶν nemo cum Bodl. Vat. al. exturbaverit; quod si per usum loquendi alterutro loco omitti potuit, ante τοῦ σώματος potuit, ut nollem nuper ὡςπερ δεσμῶν scriptum esset. Sed recte se habet ἐκ repetitum, cum praepositiones in comparationibus subinde etiam gementur. Sic infra p. 82 E ὡςπερ δι' εἰργμοῦ διὰ τούτου σκοπεῖσθαι τὰ ὄντα. Ibid. p. 110 E, ubi v. ann. Ibid. p. 115 B ὡςπερ κατ' ἴχνη κατὰ τὰ νῦν εἰρημένα. Phaedr. p. 255 D ὡςπερ δὲ ἐν κατόπτρῳ ἐν τῷ ἐρωῖντι ἑαυτὸν ὁρᾶν λέληθε. De Rep. VIII. p. 553 B πταίσαντα ὡςπερ πρὸς ἔρωματι πρὸς τῇ πόλει.

ὅ τι ἐγγυτάτω ὄντα τοῦ τεθνάναι οὕτω ξῆν] h. e. qui se ita componit et hoc studet, ut vitam agat mortis quam proximam. De οὔτω post participium illato v. ad p. 61 C.

E. τούτου] refer ad τὸ τεθνάναι. — αὐτῷ, v. ad Protag. p. 321 C.

οὐ γελοῖον] Non puto necessarium esse, quod coniecit Heusdius Specim. Crit. p. 17 ἢ οὐ γελοῖον; Perperam autem in edit. antiquioribus distinctio post ἀγανακτεῖν deerat. Nisi forte οὐ γελοῖον per anacoluthon grata quadam orationis negligentia repetitum est variata etiam constructione.

εἰ γὰρ διαβέβληνται] h. e. si infensi sunt corpori, si oderunt omnino corpus, ut mox ὦ διαβέβληντο. Nam διαβάλλεσθαι τινι vel πρὸς τι est alicui reddi inimicum et διαβάλλειν τινά τινι vel πρὸς τινα aliquem alicui inimicum reddere. v. Thom. Mag. p. 209. Wesseling. ad Her. VI. 64, ad Diodor. I. 93 et doctissimam annotationem Wyttenbachii ad Plat. Moralia p. 299 = 226. T. I. ed. Lips. Praeterea duplex protasis hypothetica animadvertenda est, cuius tamen

ἀγανακτοῦντα μέλλοντα ἀποθανεῖσθαι, ὅτι οὐκ ἄρ' ἦν φιλόσοφος, ἀλλὰ τις φιλοσώματος; ὁ αὐτὸς δὲ πού οὗτος τυγχάνει ὦν καὶ φιλοχρήματος καὶ φιλότιμος, ἦτοι τὰ ἕτερα τούτων ἢ καὶ ἀμφοτέρω. Πάνυ γ', ἔφη, ἔχει οὐ-

C. καὶ ἀμφοτέρω] καὶ nunc e Vat. et Flor. d additum vulgo abest.

Πάνυ γ'] γ' insertum e Vat. Vind. Φ Ambr. Ven. II Flor. e d. Vulg. tenuit Herm.

tem esse hanc explicationem huius loquendi formae talia evincunt: Eur. Hecub. 306 ἐν τῷδε γὰρ κάμνουσιν αἱ πολλαὶ πόλεις, ὅταν τις ἐσθλὸς καὶ πρόθυμος ὦν ἀνὴρ μηδὲν φέρεται τῶν κακίωνων πλέον. Deinde notabis istud ἄρ' ἦν, quo Graeci sic utuntur, ut spem aut opinionem frustra susceptam significant. Hom. Od. XVI. 418 sqq. Ἀντίνο', ὕβριν ἔχων, κακομήχανε, καὶ δὲ σέ φασιν ἐν δήμῳ Ἰθάκης μεθ' ὀμήλικας ἔμμεν ἄριστον βουλήν καὶ μύθοισι· σὺ δ' οὐκ ἄρα τοῖος ἔησθα. Arist. Pac. 674 ποῖός τις οὐκ εἶναι δοκεῖ τὰ πολεμικὰ ὁ Κλεώνυμος; Tryg. ψυχὴν γ' ἄριστος, πλὴν γ' ὅτι οὐκ ἦν ἄρ' οὐπὲρ φησὶν εἶναι τοῦ πατρὸς. Ibid. 832 οὐκ ἦν ἄρ' οὐδ' ἂ λέγουσι κατὰ τὸν ἄερα. Soph. Phil. 978 ὅδ' ἦν ἄρα ὁ ξυλλαβῶν. Sed ingentem numerum locorum, in quibus ἄρ' ἦν ita positum est, dudum collegerunt Heindorf. ad h. l. et Schaefer. ad Soph. Oed. Col. 1697, ad Apoll. Rhod. II. p. 161, quibus accedant quae in editione Phaëdonis Wyttenbachi Lipsiensi a nobis notata sunt p. 171.

C. ἦτοι τὰ ἕτερα τούτων ἢ καὶ ἀμφοτέρω] De hac constructione dictum est ad Apolog. p. 22E. Importune hic quaerit Olympiodorus: διὰ τί παρέλιπε τὸ φιλήδονον; Nam primum quidem apparet istius vocis notionem iam in φιλοσώματος inclusam teneri. Deinde vel coeco patere debet his duobus, φιλοχρήματος et φιλότιμος, externorum bonorum studium et cupiditatem designari. Statuit enim Plato tria bonorum ge-

nera, animi, corporis, fortunae Legg. III. p. 697 BC, ubi v. annot., licet alibi etiam simpliciter animi bonis reliqua opposuerit, ut Legg. II. 661. IX. 870 B. De Rep. I. 331 A sqq. VI. p. 491 C. Euthyd. p. 279 A sqq. al. Priore divisione iam Pythagorei usi sunt, sicuti apparet ex Fragm. Archytæ ap. Stob. Serm. I. al. et Iamblich. Protrept. p. 64 et p. 74 ed. Kiessl. Eandem usurpavit etiam Aristot. Ethic. Nicom. I. 8 coll. Diog. Laert. III. §. 80. 81 ac postea certatim celebrarunt Academici et Peripatetici, sicut docte demonstravit Beier. ad Cic. Offic. III. 6. Vol. II. p. 228 sq. Quemadmodum igitur divitiarum et honorum mentione significantur bona externa s. fortunae, ut Legg. III. p. 697 B, ita mirum non est quod eorundem cupiditas φιλοχρημάτων καὶ φιλότιμον commemoratione indicatur, sicuti fit etiam infra p. 82 C. Quocirca opponuntur inter se φιλόσοφος et φιλοσώματος, ex quibus ille sapientiae, hic vero corporis studiosus est, ita ut alter bona animi, alter bona corporis expetere existimandus sit. Sed corporis amanti praeterea etiam illud tribuitur, quod divitias et honores consecetur, sive ambos sive alterutros. Quod apertum est ad bona externa spectare, quae ille itidem amare iudicatur. Itaque locus plane nihil habet obscuritatis, quamvis eum Wyttenbachius, Astius, alii minus recte interpretati sint. Permire autem nuper Herm. Schmidt, Krit. Commentar zu Plat. Phaëdon p. 23 verba sic explicat, ut πού interpretetur doch wohl, fere; quo facto fieri posse autumat, ut

τως, ὡς λέγεις. Ἄρ' οὐν, ἔφη, ὦ Σιμμία, οὐ καὶ ἡ ὀνομαζομένη ἀνδρεία τοῖς οὕτω διακειμένοις μάλιστα

ἀνδρεία] Ven. AΞ Par. CHI Flor. a e d i m Zitt. cum Bass. et Ald. ἀνδρεία, quod et hic et postea plausum tulit Bekkeri et Turicenss. Nos cur constanter ἀνδρεία scripserimus, alibi satis videmur exposuisse.

τὸ φιλήδονον etiam tamquam tertium quiddam cogitando addi liceat. Quasi vero Plato non clarissime indicaverit duo tantum vitia, honorum cupiditatis et divitiarum studium, intellegenda esse additis etiam verbis: ἦτοι τὰ ἕτερα τούτων ἢ καὶ ἀμφοτέρω, aut quasi voculam πού isto sensu positam esse cuiquam credibile videri queat.

Ἄρ' — οὐ καὶ ἡ ὀνομαζομένη ἀνδρεία] Tria potissimum distinxit Plato virtutis genera. Praestantissimum enim illius genus philosophus duxit illud, quod duce et magistra ratione coleretur et ex veritatis scientia atque cognitione tamquam sponte effloresceret. Quam quidem virtutem unis philosophis voluit esse propriam. Quorsum spectant maxime etiam ea, quae hic de philosophorum virtute disseruntur, spectant item illa, quae Theaet. p. 173 C sqq. p. 176 B sqq. disputantur, ubi praeclara sapientis imago proponitur in huius virtutis studio, quod ad τὴν ὁμοίωσιν τῷ θεῷ perducit, unice occupati. v. etiam De Rep. V. p. 473 B sqq. VI. p. 484 sqq. Huic vero praestantissimae virtutis generi tamquam e regione posuit alterum, quod disciplina acquireretur atque adsuetudine potissimum et oboedientia bonis legibus et institutis praestita contineretur. Quam virtutem dixit δημοτικὴν καὶ πολιτικὴν, popularem et civilem. Eam autem censuit a scientiae et cognitionis laude aliquanto remotiorem adeoque coniunctam esse et posse et solere cum illiberali et inhonesto commodorum et utilitatum studio mendacem ac fraudulentam verae germanaeque virtutis imitaticam. Id quod Socrates h. l. docet. Quamobrem nec dubitavit eos, qui illi uni dediti essent, τῶν φανύλων generi adscribere infra p. 81 D et p. 82 A

sq. coll. p. 69 B, ubi iis ἀρετῆς σκιαγραφία tribuitur. Quamquam hoc virtutis genus nentiquam neglegendum aut contemnendum censuit. Cui etsi per se spectato facile intellexit deesse firmitatem illam et constantiam, quae ab exploratae veritatis scientia et interiore mentis animique persuasionem proficisceretur, tamen, quoniam vulgus vix altius educi posset, ad publicam pariter atque privatam salutem plurimum valere existimavit. Quocirca eos omnes praeclare de communi salute mereri indicavit, qui civitates bonis legibus temperarent eaque ratione homines ad morum honestatem et officiorum sanctitatem colendam perducerent. De qua re v. Symp. p. 209 AD. De Rep. VI. p. 500 D. VII. p. 518 D. Atque hanc ob causam etiam ipse, cum olim finxisset eam rempublicam, in qua perfectorum sapientium ratio tamquam νόμος ἔμψυχος (De Rep. IV. p. 423 D sqq. Politic. p. 294 A) unice valeret, postea faciendum statuit, ut opus Legum componeret, in quo optimae leges proponerentur, quae essent mentis rationisque tamquam vicariae. Legg. IV. p. 713 E. 715 B. XII. p. 957. Tertium praeterea virtutis genus Plato quasi fortuitum esse voluit, quippe quod contineretur naturae et ingenii quadam felicitate, quae, quid verum, bonum atque utile esset, mira facilitate et celeritate reperiret ideoque illud tribuit θεῖα τιμὴ μοίρα. Nititur igitur illud maxime recte opinandi feliciterque divinandi facultate, quam εὐδοξίαν vocat (v. Menon. p. 96 D—100 D), habetque rectam opinionem (δόξαν ὀρθήν) sociam et adiutricem. Quod quidem virtutis genus etsi philosophus subinde urbane cavillatur ridens videlicet viros civiles aliosque id genus homines tali virtute fastuose super-

ἐπιθυμοῦσι τὴν ψυχὴν ἔχειν, τούτου δὲ γιγνομένου εἰ φοβοῦντο καὶ ἀγανακτοῦεν, οὐ πολλὴ ἂν ἀλογία εἴη, εἰ μὴ ἄσμενοι ἐκείσε ἴοιεν, οἳ ἀφικομένοις ἐλπίς ἐστίν οὐδ' 68 διὰ βίου ἤρων τυχεῖν ἤρων δὲ φρονήσεως· ὧς τε διεβέβληντο, τούτου ἀπηλλάχθαι ξυνόντος αὐτοῖς; ἢ ἀνθρώπων μὲν παιδικῶν καὶ γυναικῶν καὶ υἱῶν ἀπο-

E. εἰ φοβοῦντο] Hic εἰ insertum e Bodl. Tub. Vat. Ven. II Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. d.

P. 68. διεβέβληντο] Coisl. Par. CE Flor. b d i m διαβέβληντο. conf. p. 73 E et 76 A ann. crit. Mox e Tub. Fischer. dedit ὄψεσθαι τε ἐκεῖ, quod etiam est in Ven. II. Vulg. τι ἐκεῖ, quod cum Bodl. aliisque retinuit etiam Bekker., ferri non potest; nec tuitus est Herm.

exempla bene multa suppetunt. Theaet. p. 147 A εἰ τις ἡμᾶς τῶν φάσεων τι καὶ προχείρων ἔροιτο — εἰ ἀποκρινάμεθα αὐτῷ πηλὺς —, οὐκ ἂν γελοιοί εἴμεν; Gorg. p. 453 C ὥσπερ ἂν εἰ ἐτύγχανόν σε ἐρωτῶν —, εἰ μοι εἶπες, ὅτι κ. τ. λ., ἄρ' οὐκ ἂν δικαίως σε ἠρόμην; Legg. II. p. 662 CD εἰ τοὺς νομοθετήσαντας ὑμῖν — ἐροῦμεθα —, εἰ δὴ δύο φαῖεν, ἐροῦμεθ' ἂν ἴσως αὐτοῦς κ. τ. λ. Protag. p. 311 B ὥσπερ ἂν εἰ ἐπενόεις — ἀργύριον τελεῖν, εἰ τίς σε ἤρετο —, τί ἂν ἀπεκρίνω; Hoc loco quod variato verbi modo ab indicativo ad optativum factus est transitus, similiter infra p. 88 AB et Menon. p. 74 B εἰ τίς σε ἀνέροιτο τοῦτο ὃ νῦν δὴ ἔλεγον —, εἰ αὐτῷ εἶπες ὅτι στρογγυλότης, εἰ σοι εἶπον ἄπερ ἐγώ —, εἶπες δήπου ἂν, ὅτι σχῆμά τι, ubi ab optativo dein ad indicativum transitur. Cuius variationis causa aperta est.

εἰ φοβοῦντο καὶ ἀγανακτοῦεν] His denuo repetuntur verba εἰ μὴ ἄσμενοι κ. τ. λ., de qua loquendi forma v. infra p. 80 E. 81 A et ad Apolog. p. 20 C. Arist. Eccl. ἢ δ' Ἀθηναίων πόλις, εἰ τοῦτο χρηστῶς εἶχεν, οὐκ ἂν ἐσώζετο, εἰ μὴ τι καινὸν ἄλλο περιεργάζετο. Cic. De N. D. I. 10 si dii possunt esse sine sensu et mente, cur aquae adiunxit, si ipsa mens constare potest vacans corpore? ubi

vid. Heindorf. His neglectis Hirschig. nodum in serpo quaesivit, qui verba: τούτου δὲ γ. φοβοῦντο καὶ ἀγανακτοῦεν eiicienda statuit. In proximis post ἐλπίς ἐστίν primo aoristus τυχεῖν infertur, deinde ἀπηλλάχθαι, h. e. esse liberum, id quod fieri recte potuit, quandoquidem post verba putandi et sperandi etiam simplex infinitivus temporis praesentis ponitur. Sophist. p. 250 E νῦν ἐλπίς ἦδη, καθάπερ ἂν αὐτῶν θάτερον εἶτε ἀμυδρότερον εἶτε σαφέστερον ἀναφαίνηται, καὶ θάτερον οὕτως ἀναφαίνεσθαι. Legg. I. p. 646 E ἠγούμενοι δοξάζεσθαι. Isoer. ad Callim. cap. 15 οἶμαι δὲ αὐτὸν ὀδύρεσθαι καὶ λέγειν. Aesch. Agam. 1648 ἀλλ' ἐπεὶ δοκεῖς τὰδ' ἔρδειν. Nimirum aoristus rei per se spectatae vel cito transeunti, praesens duranti adhibetur.

P. 68. ἢ ἀνθρώπων μὲν παιδικῶν —] Commemorantur ἀνθρώπινα παιδικά ita, ut deinde iis opponantur ἢ φρόνησις καὶ ἢ φιλοσοφία quasi θεῖα παιδικά. Nam παιδικά interdum dici de rebus caris et amatis cuiuscunque generis adeoque de philosophia docuit Markland. ad Maxim. Tyr. Diss. XXXV. 1. Optime Heindorf. comparat Gorg. p. 482 A ἀλλὰ τὴν φιλοσοφίαν, τὰ ἐμὰ παιδικά, παῦσον ταῦτα λέγουσαν.

θανόντων πολλοὶ δὲ ἐκόντες ἠθέλησαν εἰς Αἴδου ἐλθεῖν, ὑπὸ ταύτης ἀγόμενοι τῆς ἐλπίδος, τῆς τοῦ ὄψεσθαι τε ἐκεῖ ὧν ἐπεθύμουν καὶ ξυνέσεσθαι· φρονήσεως δὲ ἄρα τις τῶ ὄντι ἐρῶν, καὶ λαβῶν σφόδρα τὴν αὐτὴν ταύτην ἐλπίδα, μηδαμοῦ ἄλλοθι ἐντεύξεσθαι αὐτῇ ἀξίως λόγου ἢ ἐν Αἴδου, ἀγανακτήσει τε ἀποθνήσκων καὶ οὐκ ἄσμε- B νος εἶσιν αὐτόσε; οἴεσθαι γε χρή, ἐὰν τῶ ὄντι γ' ἢ, ὧ ἑταῖρε, φιλόσοφος· σφόδρα γὰρ αὐτῷ ταῦτα δόξει, μηδαμοῦ ἄλλοθι καθαρῶς ἐντεύξεσθαι φρονήσει, ἀλλ' ἢ ἐκεῖ. εἰ δὲ τοῦτο οὕτως ἔχει, ὅπερ ἄρτι ἔλεγον, οὐ πολλὴ ἂν ἀλογία εἴη, εἰ φοβοῖτο τὸν θάνατον ὁ τοιοῦτος;

Cap. XIII. Πολλὴ μέντοι νῆ Δία, ἢ δ' ὄς. Οὐκοῦν ἱκανόν σοι τεκμήριον, ἔφη, τοῦτο ἀνδρός, ὃν ἂν ἴδης

B. ὄντι γ' γ' e Bodl. Ven. II Tub. additum. Mox ταῦτα δόξειν Coisl. Ven. I Par. EHL Aug. Zitt. Flor. b c i et Bass. cum Ald. [δόξει Stephanus].

ἄλλοθι κ. ἐντ.] Bodl. in marg. γρα. ἄλλοθι δυνατόν εἶναι καθαρῶς.

φρονήσεως δὲ ἄρα τις —] De vocibus δὲ ἄρα dicemus ad p. 80 D.

τὴν αὐτὴν ταύτην ἐλπίδα] Videlicet quam foverunt illi, qui mortuis amicis, filiis, uxoribus in Orcum descendere voluerunt.

B. οἴεσθαι γε χρή] De hac formula dictum est ad Criton. p. 53 C. Deinde quod Heindorf. infinitivum δόξειν a plurimis libris supeditatum ita tuetur, ut eum dicat pendere e praec. οἴεσθαι γε χρή, neglexisse videtur istud γὰρ, quod hanc rationem non admittit. Mox quod ταῦτα δόξει dicitur subsequente μηδαμοῦ ἄλλ. ἐντεύξεσθαι, de eo v. ann. ad p. 62 D coll. Matthiae Gr. §. 472. 5.

Cap. XIII. Οὐκοῦν ἱκανόν σοι τ. — τοῦτο ἀνδρός —] Verissime Heindorf. τοῦτο explicari censet verbis sqq. ὃν ἂν ἴδης ἄγ. Quippe talibus in locis ὄς ἂν fere idem est, quod ἐάν τις, de qua re vide ad Euthyphr. p. 3 D. Itaque etiam sic scribi poterat: οὐκοῦν ἱκανόν σοι τεκμήριον τοῦτο, ὅτι οὐχ ἄρ' ἦν φιλόσοφος, ἐάν τινα

ἴδης ἄγ. μ. ἀπ. Pertinent huc praeter ea, quae collegit Heindorfius ad Sophist. p. 248 C, etiam Legg. II. p. 653 A εὐτυχές, ὅσα καὶ πρὸς τὸ γῆρας παρεγγέμετο. Her. I. 136 ἀνδραγαθίη δ' αὐτῆ ἀποδέδεται μετὰ τὸ μάχεσθαι εἶναι ἀγαθόν, ὄς ἂν πολλοὺς ἀποδέξῃ παίδας, h. e. ἐάν τις π. ἀπ. π. Xen. Hell. II. 3, 51 ἐγώ — νομίζω προστάτον ἔργον εἶναι οἴον δει, ὄς ἂν ὄρων τοὺς φίλους ἑξαπατωμένους μὴ ἐπιτρέπη, h. e. ἐάν τις ὄρων τ. φ. κ. τ. λ., ut Weiskius frustra ὡς ἂν coniecerit. Xen. An. II. 6, 6 ταῦτα οὐν φιλοπολέμον δοκεῖ ἀνδρός ἔργα εἶναι, ὄστις — αἰρεῖται πολεμεῖν, h. e. εἰ τις αἰρ. π. Thuc. II. 62, 5 καταφρόνησις δὲ (ἐγγίγνεται), ὄς ἂν καὶ γνώμη πιστεύῃ τῶν ἐναντίων προσέχειν. Eur. Phoeniss. 509 ἀνανδρία γὰρ, τὸ πλέον ὄστις ἀπολέσας τοῦ λασσον ἔλαβε. Iphig. T. 605 τὰ τῶν φίλων αἰσχιστον ὄστις καταβαλὼν εἰς ξυμφορὰς αὐτοῦ σέσωσται. Ar. Thesm. 177. Matthiae Gr. §. 481. Conf. ann. ad Hipp. mai. p. 283 B. Veram au-

προσῆκει; Πάντως δήπου, ἔφη. Οὐκοῦν καὶ ἡ σωφροσύνη, ἣν καὶ οἱ πολλοὶ ὀνομάζουσι σωφροσύνην, τὸ περὶ τὰς ἐπιθυμίας μὴ ἐπτοῆσθαι, ἀλλ' ὀλιγώρως ἔχειν καὶ κοσμίως, ἃρ' οὐ τούτοις μόνοις προσῆκει, τοῖς μάλιστα τοῦ σώματος ὀλιγοροῦσί τε καὶ ἐν φιλοσοφίᾳ ζῶσιν; D' *Ἀνάγκη*, ἔφη. Εἰ γὰρ ἐθέλεις, ἣ δ' ὅς, ἐννοῆσαι τὴν

D. *ἐθέλεις*] V. *ἐθέλεις*, quod cum Bekkero e Coisl. Tub. Par. CHI Aug. Flor. a b c d i m et pr. Ven. II mutatum. Nuperi tamen editores servarunt vulgatum. v. ann.]

bientes, sicuti fit Men. p. 99 CDE. 89 B. Apol. p. 21 C. Politic. p. 297 B sqq., tamen ne illud quidem sua laude carere arbitrat. Etenim similem esse vult huius virtutis rationem atque rectae opinionis. Opinionones enim (*δόξας*) etsi ad scientiae firmitatem et constantiam comparatas parvi sane aestimavit (De Rep. VI. p. 506 C. Men. 97 CD), tamen illas per se spectatas item iusta ponderavit lance, quandoquidem facile intellexit vitam humanam non una scientia, sed etiam opinione atque ingenii bonitate regi atque gubernari. v. Phaed. p. 85 C ibique ann. Itaque tertium hoc genus virtutis in divinis beneficiis numerandum iudicavit. Ceterum aliter de virtutum gradibus statuisset Platonicos recentiores disces ex iis, quae disserunt Fabricius ad Marini Vit. Procl. p. XLIsqq. ed. Boiss. Salmasius ad Simplic. in Epictet. p. 13sq. Wyttenbach, ad Phaed. p. 216 et Olympiodor. p. 36sq. p. 88 sq. Propius ad Platonis rationem accesserunt Stoici, qui officium voluerunt esse vel perfectum (*κατόρθωμα*), quod Cicero rectum interpretatur, vel commune sive medium (*προσῆκον*). Nam *officia media s. communia* teste Cic. De off. III. 4 censuerunt esse *quasi secunda quaedam honesta, non sapientium modo propria, sed cum omni hominum genere communia*. v. etiam De fin. III. 17. Recta autem sive perfecta officia secundum eorum sententiam non alia sunt quam quae cadunt in unum sapientem. conf. etiam Cic. Off. I. 3.

Latuit tamen haec doctrinae Stoicae cum Platonica cognatio adhuc viros doctos digna illa, quae aliquando animadvertatur diligentius.

τοῖς οὕτω διακειμένοις] iis, qui student animum se iungere a corpore atque spectant se sapientiam esse assecuturos, ubi venerint ad inferos.

οἱ πολλοί] vulgus, h. e. ii, qui non possunt in numero verorum philosophorum haberi. Mox vocantur *οἱ ἄλλοι*. De verbo *προεῖσθαι*, vehementi cupiditate ad aliquid ferri, maximo desiderio alienius rei teneri, v. Gataker. ad Antonin. IV. 195. Ernest. ad Callim. h. in Dian. 191. Blomfield. Glosar. ad Aeschyl. Prom. 881 et de simili usu verbi Lat. trepidare interpp. ad Liv. XXVII. 1, 8. — *ἐν φιλοσοφίᾳ ζῆν*, versari in sapientiae studio, ut *διάγειν ἐν φιλοσοφίᾳ* Theaet. p. 174 A.

D. *Εἰ γὰρ ἐθέλεις* — *δόξει σοι*] Ne cui haec structurae ratio molesta sit, alia eius exempla adscripsit Heindorf., quibus addimus haec: Her. II. 15 *εἰ βουλόμεθα γνώμησι τῆσι Ἰώνων χρᾶσθαι* —, *ἀποδεικνύομεν ἄν κ. τ. λ.*, ubi Benedict. con. *βουλόμεθα* probante Schweigh. Pl. Symp. p. 208 C *εἰ ἐθέλεις εἰς τὴν φιλοτιμίαν βλέπειν, θανμάζοις ἄν κ. τ. λ.* Alcib. I. p. 122 D *εἰ ἐθέλεις τοὺς Λακεδαιμονίων πλούτους ἰδεῖν, γνώσει ὅτι κ. τ. λ.* Protag. p. 324 A.

γε τῶν ἄλλων ἀνδρείαν τε καὶ σωφροσύνην, δόξει σοι εἶναι ἄτοπος. Πῶς δὲ, ὦ Σώκρατες; Οἶσθα, ἣ δ' ὅς, ὅτι τὸν θάνατον ἠγροῦνται πάντες οἱ ἄλλοι τῶν μεγάλων κακῶν εἶναι. Καὶ μάλα, ἔφη. Οὐκοῦν φόβῳ μειζόνων κακῶν ὑπομένουσιν αὐτῶν οἱ ἀνδρείοι τὸν θάνατον, ὅταν ὑπομένωσιν; "Ἔστι ταῦτα. Τῷ δεδιέναι ἄρα καὶ δέει ἀνδρείοι εἶναι πάντες πλὴν οἱ φιλόσοφοι. καίτοι ἄτοπόν γε δέει τινὰ καὶ δειλία ἀνδρείον εἶναι. Πάνυ μὲν οὖν. Τί δὲ οἱ κόσμιοι αὐτῶν; οὐ ταῦτόν τοῦτο E πεπόνθασιν; ἀκολασία τινὶ σώφρονές εἶσι; καίτοι φαμέν γέ που ἀδύνατον εἶναι· ἀλλ' ὅμως αὐτοῖς συμβαίνει τούτῳ ὅμοιον εἶναι τὸ πάθος τὸ περὶ ταύτην τὴν εὐήθη

ἀνδρείαν] Bodl. Tubl. Flor. b c i m Iambl. cum Ald. et Bass. *ἀνδρείαν*. Pro *τὴν γε* Bodl. vitiose *τῆντε*.

μεγάλων κακῶν] V. *μεγίστων* invitis Bodl. Ven. II Par. A Tub. Stobaeo et Iambl. In Bodl. et Par. *μεγίστων* marginibus adscriptum, unde apparet *μεγίστων* deberi eorum criticorum acumini, qui mortem alibi in maximis malis numerandam statui meminissent; sed attendas modo ad proximam argumentationem ac facile videbis *μεγάλων* unice verum esse.

καὶ δειλία] Sic Bodl. Coisl. Vat. Aug. Flor. d i Vind. Φ Par. G Ambr. Vett. editi. ἢ *δειλία*.

E. *ὅμοιον εἶναι τὸ πάθος*] *εἶναι* om. a pr. m. Bodl. Ven. II. Dein Bodl. sec. m. τῷ περὶ τ. cum Coisl.

τὴν γε τῶν ἄλλων ἀνδρείαν] „Has simulatas et verarum virtutum imitatrices virtutes postea exagitavit Epicurus, cuius de hoc argumento doctrinam a Cicerone expositam De Fin. I. 10. 14. 15. II. 14. 15 comparare operae pretium.“ WYTTENBACH.

ὅταν ὑπομένωσιν] Euthyphr. p. 7 D *οὐ δυνάμενοι ἐπὶ ἐκνήνην κρῖσιν αὐτῶν ἔλθειν ἐχθροὶ ἀλλήλοις γινόμεθα*, ὅταν γινώμεθα. Phileb. p. 31 B *δεῖ δὲ τὸ μετὰ τοῦτο ἐν ᾧ τὸ ἐστὶν ἐκάτερον αὐτοῦν καὶ διὰ τί πάθος γίνεσθαι, ὅπότεν γίνεσθαι, ἰδεῖν ἡμᾶς*, ubi vide quae alia collegimus huius usus exempla.

E. *Τί δὲ οἱ κόσμιοι* —] *Κόσμιοι* et *σώφρονες* hoc loco sunt fere synonyma; intelleguntur enim modesti ac temperantes, qui ab ἀκολασίᾳ alieni sunt. Perizon. ad Aelian. V. H. XIV. 7. — De inter-
punctione post *οἱ κόσμιοι αὐτῶν*

facta v. ad Gorg. 501 E. Ante ἀκολασίᾳ Turnebus et Stephanus καὶ inserendum putarunt. Perperam. Illustravimus hanc loquendi rationem ad Apolog. p. 22 A. — De proximis, καίτοι φαμέν γέ που — ἀλλ' ὅμως, compares Euthyphr. p. 3 C καίτοι οὐδὲν ὅτι οὐκ ἀληθὲς εἶρηκα ἂν προεῖπον· ἀλλ' ὅμως φθονοῦσιν ἡμῖν πᾶσι τοῖς τοιοῦτοις. Parm. p. 128 C καίτοι ὡς περ γε αἱ Λάκαιναι σκύλακες εὐμεταθεῖς τε καὶ ἰχθυεῖς τὰ λεχθέντα· ἀλλὰ πρῶτον μὲν σε τοῦτο λανθάνει κ. τ. λ. Dem. in Mid. p. 41 ed. Buttm. καίτοι φασὶν Ἰφικράτην — ἔλθειν εἰς ἐχθρῶν· ἀλλ' ὅμως πολλοὺς μὲν ἔχων φίλους —, πολλὰ δὲ χορήματα — οὐκ ἐβάδιζεν ἐπὶ τὰς τῶν χουσοχῶν οἰκίας. Ceterum haec breviter dicta sunt, cum potuerint etiam sic enuntiarī: ἀλλ' ὅμως τὸ πάθος τὸ περὶ ταύτην τὴν εὐήθη σωφροσύνην, ὃ αὐτοῖς συμβαίνει, τούτῳ ὅμοιον ἐστίν.

σωφροσύνην· φοβούμενοι γὰρ ἑτέρων ἡδονῶν στερηθῆ-
ναι καὶ ἐπιθυμοῦντες ἐκείνων, ἄλλων ἀπέχονται ὑπ'
ἄλλων κρατούμενοι. καίτοι καλοῦσί γε ἀκολασίαν τὸ
69 ὑπὸ τῶν ἡδονῶν ἄρχεσθαι· ἀλλ' ὅμως ξυμβαίνει αὐτοῖς
κρατουμένοις ὑπ' ἡδονῶν κρατεῖν ἄλλων ἡδονῶν. τοῦτο
δ' ὁμοίον ἐστὶν ᾧ νῦν δὴ ἐλέγετο, τῷ τρόπον τινὰ δι'
ἀκολασίαν αὐτοὺς σεσωφρονίσθαι. Ἔοικε γάρ. Ὡ μα-
κάριε Σιμμία, μὴ γὰρ οὐχ αὕτη ἢ ἡ ὀρθὴ πρὸς ἀρετὴν
ἀλλαγὴ, ἡδονὰς πρὸς ἡδονὰς καὶ λύπας πρὸς λύπας καὶ
φόβον πρὸς φόβον καταλλάττεσθαι, καὶ μείζω πρὸς ἐλάτ-
τω, ὥσπερ νομίσματα, ἀλλ' ἢ ἐκεῖνο μόνον τὸ νόμισμα
B ὀρθόν, ἀνθ' οὗ δεῖ ἅπαντα ταῦτα καταλλάττεσθαι, φρό-
νησις, καὶ τούτου μὲν πάντα καὶ μετὰ τούτου ὠνούμενά

P. 69. μὴ γὰρ] γὰρ additum e Bodl. Tub. Ven. II Vind. Φ Par. G
Ambr. Flor. d. In Bodl. ἢ om. Contra ἢ articulum soli Vat. Ven. Ξ et rec.
Ven. T cum Steph. tuentur.

πρὸς ἀρετὴν ἀλλαγὴ] Voc. ἀλλαγὴ additum e Vat. Ven. II
Vind. Φ Par. C Ambr. Flor. a b d m. Sed pro eo Bodl. Tub. πρὸς ἀρε-
τήν, ἀλλὰ ἢ ἡδονὰς πρὸς ἡδονὰς. v. ad p. 70 C.

ἅπαντα ταῦτα] Sic Bodl. Ven. II Tub. Vett. editt. πάντα ταῦτα.
Pro ἀνθ' οὗ, quod debetur Coisl., scribebatur vulgo ἀντὶ οὗ. Vind. Φ
Ambr. et corr. Ven. II ἀνθ' οὗ.

P. 69. μὴ γὰρ οὐχ αὕτη —]
Particula γὰρ refertur ad senten-
tiam ex orationis serie eruendam.
Possis intellegere: Noli hanc
sentiendi agendique ratio-
nem probare; vide enim, ne
haec non sit recta ad virtu-
tem quod attinet permutatio,
ut voluptates cum voluptati-
bus — commutemus. Lamb.
Bos. Ellips. p. 809 sqq. ed. Schaeff.
Wyttenbachius, cum res non
viam virtutis, sed virtutem
ipsam requirere videretur, pro vet.
lect. ἢ ὀρθὴ πρὸς ἀρετὴν, ἡδονὰς
πρ. ἢδ. scribendum censuit ἢ ὀρθὴ
ἀρετὴ, ἡδονὰς πρὸς ἢδ. κ. τ. λ.
Quod etiamsi accuratius dictum fo-
ret, ferri tamen vulgatum posset, si
libri omnes illud constanter tueren-
tur. Nunc vero, cum multi codd.
optimae notae post ἀρετὴν addant
ἀλλαγὴ, quod ipsum etiam Iam-
blichus in libro suo habuit, non
dubitavimus recipere, quod senten-

tiae rationibus optime convenire,
ab librariis autem multo facilius
deleri quam addi potuisse videba-
tur. Nimirum fraudem fecit criticis,
quod πρὸς duplici positum est po-
testate, quandoquidem priore loco
est quod attinet ad etc., poste-
riore permutationis rationem desig-
nat, cuiusmodi loquendi rationem
Platoni non inusitatam esse novi-
mus. Verbi καταλλάττεσθαι usum
exemplis illustravit Wyttenbach.
ad h. l. De praepositione ἀντὶ cum
huiusmodi verbis coniuncta v. Pier-
son. ad Moer. p. 155 sq. Ceterum
ridetur, opinor, hoc loco sententia
Aristippi Cyrenaici multis tum, ut
videtur, probata, quae virtutem re-
ferebat ad prudentiam quandam
tranquille beateque vivendi ideo-
que sapientem iubebat quam maxi-
me sectari vitae suavitatem atque
incunditatem. v. Protag. p. 354 C.
356 B. Phil. p. 53 C. 54 D ibique
ann.

τε καὶ πιπρασκόμενα τῷ ὄντι ἢ, καὶ ἀνδρεία καὶ σωφρο-
σύνη καὶ δικαιοσύνη καὶ ξυλλήβδην ἀληθῆς ἀρετὴ μετὰ
φρονήσεως, καὶ προσγυνομένων καὶ ἀπογυνομένων καὶ
ἡδονῶν καὶ φόβων καὶ τῶν ἄλλων πάντων τῶν τοιού-
των· χωριζόμενα δὲ φρονήσεως καὶ ἀλλαττόμενα ἀντὶ
ἀλλήλων; μὴ σκιαγραφία τις ἢ ἡ τοιαύτη ἀρετὴ καὶ τῷ
ὄντι ἀνδραποδάδης τε καὶ οὐδὲν ὑγιᾶς οὐδ' ἀληθῆς
ἔχουσα, τὸ δ' ἀληθῆς τῷ ὄντι ἢ κάθαρσις τις τῶν τοι- C

B. ἀνδρεία] Bodl. Tub. Flor. a b c d i m Zittav. Ven. Ξ II cum
Ald. Bass. ἀνδρεία.

ἀρετὴ μετὰ] Tub. Ven. II Par. G ἀρετὴ ἢ μετὰ, unde Heindorfius
et Bekkerus ἢ post ἀρετὴ inseruerunt.

ἀληθῆς ἔχουσα] Sic dedi e Vat. Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. d et
marg. Ven. II. Editt. omnes ἔχη praeter Hermann. a Bodl. suo hic disce-
dentem. Post οὐδὲν ὑγιᾶς unus Bodl. εἶναι additum habet.

C. ἢ κάθαρσις] κάθαρσις ἢ Vat. Vind. Φ Flor. d Par. G Ambr.
et corr. Bodl.

B. ὠνούμενά τε καὶ πι-
πρασκόμενα τ. ὄ. ἢ] h. e. et
vereor, ne quae hoc numis-
mate emuntur venduntur-
que, ea demum re vera sint
etc. In his mirum accidit istud
ὠνούμενα passive dictum. Vitium
leni mutatione sustuleris scriben-
do ἐωνημένα, nisi malueris etiam
ὠνητά, quod propter seq. πιπρα-
σκόμενα in ὠνούμενα mutatum
est. Heindorf., cum videret in
cod. Aug. scriptum exstare ὠνού-
μενά τε καὶ πιπρασκόμενα, in
eam suspicionem devenit, ut scri-
bandum putaret: καὶ μετὰ τούτου
ἢ ὠνούμενά τε καὶ πιπρασκο-
μεν, τῷ ὄντι ἢ. Fortasse tamen
nihil mutandum, quandoquidem
Grammat. in Bekkeri Anecd. I. 95
e Lysia affert formam perfecti ἐω-
νηκώς atque proximum πιπρασκό-
μενα paene efflagitat ὠνούμενα.
Praeterea etiam imperfectum verbi
tempus apud Xen. De re equestri
VIII. 2 passive positum: ὅτε μὲν
γὰρ ἐωνεῖτο, πειράσθαι ἐνελεύο-
μεν, εἰ δύναιτο ὁ ἵππος ταῦτα
ποιεῖν. — Quod deinde recensentur
quattuor virtutis formae: pru-
dentia, iustitia, fortitudo,
temperantia, ducta est haec di-
visio virtutum ex Pythagoreorum
doctrina, ut apparet ex fragmentis

ap. Stob. Floril. I. e. g. Theagis p.
8—12. Metopi p. 7. Cliniae p. 8.
Indidem sumsit Aristoteles dissen-
tiens tamen a Platonis ratione, quam
postea Stoici vindicarunt. v. Wyt-
tenbach. ad h. l., ad Plut. De aud.
poet. T. I. p. 278 et C. Beier. ad
Cic. Off. I. 5, 15. Excurs. In dialogis
quibusdam quod Plato etiam quin-
tam virtutem memorat primariam,
pietatem, de eo v. Prolegg. ad
Protag. p. 32 sq. ed. 2.

καὶ προσγ. καὶ ἀπογ.] h. e.
sive adsint sive absint.

χωριζόμενα δὲ φρονή-
σεως —] Refer ad ἡδονὰς, φό-
βους et τὰλλα πάντα, ut sententia
haec sit: disiuncta autem haec
a sapientia et invicem com-
mutata vide ne nihil sint nisi
adumbratio quaedam virtu-
tis. Plut. adv. Epicur. p. 1091 D
Πλάτων — ἀπηγόρευε τὰς λύπων
καὶ πόνων ἀπάλλαγας ἡδονὰς
μὴ νομίζειν, ἀλλ' οἷόν τινα σκια-
γραφίαν ἢ μίξιν οἰκείου καὶ ἀλ-
λοτριού, καθάπερ λευκοῦ καὶ μέ-
λανος. Deinde οὐδ' ἀληθῆς ἔχου-
σα quod ex codd. melioribus rece-
pimus, tum vocula τε suadebat, tum
loquendi consuetudini minime ad-
versari videbatur. v. quae infra ad
p. 100 D annotavimus.

τὸ δ' ἀληθῆς τῷ ὄντι] Haec

ούτων πάντων, καὶ ἡ σωφροσύνη καὶ ἡ δικαιοσύνη καὶ ἡ ἀνδρεία καὶ αὐτὴ ἡ φρόνησις μὴ καθαρμός τις ἤ. καὶ κινδυνεύουσι καὶ οἱ τὰς τελετὰς ἡμῖν οὗτοι καταστήσαντες οὐ φαῦλοί τινες εἶναι, ἀλλὰ τῶ ὄντι πάσαι αἰνύττε-

ἡ ἀνδρεία] ἡ om. Bodl.

αὐτὴ ἡ φρόνησις] V. αὐτῆ. Mutatum e Bodl. Coisl. Ven. II Vind. Φ Par. CG Ambr. Flor. b m aliis.

κινδυνεύουσι] Hoc firmant Vat. Par. G Flor. d i et pr. Ven. II. Olim κινδυνεύουσι legebatur, quod etiam Bodl. tenet merito dissentiente Hermanno.

φαῦλοί τινες] τινες pr. om. Bodl. Ven. II.

posita esse ἐκ παραλλήλων putant. v. p. 66 C. Sed recte Schleiermacher vertit: das Wahre aber Reinigung von dergleichen allen ist, und Besonnenheit und Gerechtigkeit und Tapferkeit selbst Reinigungen sind. Nam τὸ ἀληθές opponitur τῇ σκιαγραφίᾳ.

C. τοιοῦτων πάντων] Intell. ἡδονῶν, φόβων κ. τ. λ.

μὴ καθαρμός τις ἤ] Ipsam virtutem arbitratur denique nihil aliud esse quam lustrationem quandam ac purgationem, quippe cuius vis et natura in eo cernatur, ut a corporis cupiditatibus et affectibus quam maxime liberi simus. In quo respicitur procul dubio ad una maxime mysteria Orphica. Nam quominus de Eleusiniis cogitemus, vel illud prohibet, quod manifesto in proximis Orphicorum sacrorum ratio habita est. Accedit autem, quod Orphica erant lustratoria maxime et expiatoria, cum Eleusinia, etiamsi ipsa quoque non sine lustrationibus peragerentur, tamen sceleratos quidem omnino a sacrorum communione arcerent et non tam culpae expiandae quam pietatis testificandae alendaeque causa celebrarentur. Quamquam utraque illud sane habuerunt commune, quod spem futurae post mortem beatitatis tamquam e longinquo ostentabant. v. Lobeck. Aglaopham. p. 644. 806—10 et p. 38sq. Iaque locus Theonis Smyrn., de quo idem dixit p. 39sq., nihil huic pertinet, ut qui de unis Eleusiniis agit.

καὶ κινδυνεύουσι—οὗτοι καταστήσαντες] In his οὗτοι est noti illi, celebrati illi, ut Legg. III. p. 677 A. IV. p. 705 E. VII. p. 790 E. Menon. p. 80 A καὶ δοκῆς μοι παντελῶς — ὁμοιότατος εἶναι τὸ τε εἶδος καὶ τὰλλα ταύτῃ τῇ πλατεῖα νάρκη τῇ θαλαττία. Xen. Anab. I. 5, 8 ἔχοντες τούτους τε τοὺς πολυτελεῖς χιτῶνας καὶ τὰς ποικίλας ἀναξυρίδας, ubi v. Zeunius. Ar. Ran. 429, ubi schol. ὃν πάντες ἴσασιν δηλονότι. Ibid. 720. Cf. Lexie. Xenophont. III. d. 366. Pro καταστήσαντες Matthiae ad Hom. Hymn. in Cerer. 473 p. 419 καταδείξαντες coniciebat. Sed vulgata tuitus est Schaefer. ibid. Praefat. p. VII. Eur. Bacch. 21 καὶ καταστήσας ἡμᾶς τελετὰς. Paus. VIII. 31 καταστήσασθαι — τὴν τελετὴν. conf. Pierson. Verisim. p. 123.

ἀλλὰ τῶ ὄντι π. αὐτῶν, ὅτι —] Narrat Olympiodorus ista: ἐν βορβόρῳ κείσεται τοὺς ἀμνήτους sumta esse ex formula carminis mystici, cuius auctor habebatur Orpheus. v. Fragm. Orph. p. 509 Herm. Hymn. in Cerer. 480 ὄλβιος, ὃς τὰ δ' ὄπωπεν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων· ὃς δ' ἀτελής λεγῶν, ὃς τ' ἄμμορος, οὐποδ' ὁμοίως αἶσαν ἔχει, φθίμενός περ ὑπὸ ζῶφῳ εὐρώεντι. Pl. De Rep. II. p. 363 D Μουσαῖος — καὶ ὁ νῆος αὐτοῦ — τοὺς ἀνοσίους καὶ ἀδίκους εἰς πηλὸν τινα κατορύττουσιν ἐν Αἴδου, ubi quae deinceps sequuntur, digna sunt quae cum

σθαι, ὅτι, ὃς ἂν ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς Αἴδου ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται, ὁ δὲ κεκαθαρμένος τε καὶ τετελεσμένος ἐκείσε ἀφικόμενος μετὰ θεῶν οἰκήσει. εἰσὶ γὰρ δὴ, φασὶν οἱ περὶ τὰς τελετὰς, ναρθηκοφόροι μὲν πολλοί, βάνχοι δὲ τε παῦροι· οὗτοι δ' εἰσὶ κατὰ τὴν ἐμὴν δόξαν οὐκ ἄλλοι ἢ οἱ πεφιλοσοφηκότες ὁρθῶς. ὃν δὴ καὶ ἐγὼ κατὰ γὰρ τὸ δυνατόν οὐδὲν ἀπέλιπον ἐν τῶ βίῳ ἀλλὰ παντὶ τρόπῳ προὔθυμῆθην γενέσθαι. εἰ δὲ ὁρθῶς προὔθυμῆθην καὶ τι ἡνυσάμην, ἐκείσε ἐλθόντες

βάνχοι δὲ τε παῦροι] Unus Ambr. παῦροι δὲ τε βάνχοι. Vulgo δὲ γὰρ praeter librorum fidem.

D. καὶ ἐγὼ] ἐγὼ pro vulg. ἐγώγε Bodl. Ven. II Flor. d, quod etiam Bekker. Turicc. et Herm. dederunt. Voculam γὰρ post κατὰ e Bodl. Vat. Tub. Ven. II Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. d inseruimus.

προὔθυμῆθην] V. προὔθυμούμην praeter fidem codicum.

ἡνυσάμην] Sic unus August. Vett. editt. et reliqui codd. ἡνύσα-

hoc loco conferantur. Plotin. Ennead. I. 6. p. 55 A αἱ τελεταὶ ὁρθῶς αἰνύττονται τὸν μὴ κεκαθαρμένον εἰς (leg. ἐν) Αἴδου κείσεται ἐν βορβόρῳ, ὅτι τὸ μὴ καθαρόν βορβόρῳ διὰ νακίαν φίλον. Plura dabunt Meursius Eleusin. c. XVIII. Is. Casaubon. Exercit. Baron. p. 390 sqq. Valcken. ad Eur. Hippolyt. 25. Wyttenbach. ad Plut. Moral. T. I. p. 222 = p. 161 ed. Lips. et in commentar. ad h. l. Lobeck. Aglaopham. p. 806 sqq.

εἰσὶ γὰρ δὴ, φ. οἱ π. τ. τ.] Olympiodorus: παρωδεῖ ἔπος Ὀρφικὸν τὸ λέγον, ὅτι ὄστις δ' ἡμῶν ἀτέλεστος, ὡς περ ἐν βορβόρῳ κείσεται ἐν Αἴδου· τελετὴ γὰρ ἐστὶν ἡ τῶν ἀρετῶν βακχεία· καὶ φησιν· πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δὲ τε βάνχοι· ναρθηκοφόρους, οὐ μὴν βάνχους τοὺς πολιτικούς καλῶν, ναρθηκοφόρους δὲ καὶ βάνχους τοὺς καθαρτικούς. Enimvero βάνχοι nominati sunt sacerdotes et ministri orgiorum. Schol. ad Ar. Equit. 406 βάνχον οὐ τὸν Διόνυσον ἐκάλουν μόνον, ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς τελοῦντας τὰ ὄργια βάνχους ἐκάλουν, quem locum laudavit Forster. Cic. De legg. II. 14 quid ergo aget Iacchus

Eumolpidaeque vestri et augusta illa mysteria, si quidem sacra nocturna tollimus? ubi Turnebus Iacchum intellegi censet extremam initiationis partem. Praeterea consulendus Lobeck. Aglaoph. p. 806 sqq. et p. 813. — νάρθηξ est ferula in orgiis gestari solita. vid. Fischer. Indic. ad Palaephat. s. v. et Barnes ad Eur. Bacch. 145 sqq., quo loco poeta ναρθηκοφόρους ita describit: ὁ Βανχεὺς δ' ἔχων πρὸσώδη φλόγα πενίας ἐκ νάρθηκος αἴσσει, δρόμῳ καὶ χοροῖς ἐρεθίζων πλανάτας, λαχταῖς τ' ἀναπάλλων, τρυφερόν πλόνιμον εἰς αἰθέρα δίπτων κ. τ. λ. Ceterum loci sententiam recte ita declaravit Fischerus: multi prae se ferunt amorem et studium philosophiae, sed pauci sunt vere philosophi.

D. ὃν δὴ καὶ ἐγὼ —] Genetivus cohaeret cum verbo γενέσθαι hoc sensu: in quorum societatem ut pervenirem, nihil intentatum reliqui, sed omnino studio elaboravi. v. Lobeck. ad Aiac. p. 295.

καὶ τι ἡνυσάμην] aliquid mihi profecerim et in meam utilitatem comparaverim. Id enim verbo medio significatur, quod

τὸ σαφὲς εἰσόμεθα, εἴαν θεὸς ἐθέλῃ, ὀλίγον ὕστερον, ὡς ἔμοι δοκεῖ.

Ταῦτ' οὖν ἐγώ, ἔφη, ὦ Σιμμία τε καὶ Κέβης, ἀπολογουμαι, ὡς εἰκότως ὑμᾶς τε ἀπολείπων καὶ τοὺς ἐνθάδε δεσπότας οὐ χαλεπῶς φέρω οὐδ' ἀγανακτῶ, ἡγου-
E μενος κἀκεῖ οὐδὲν ἦττον ἢ ἐνθάδε δεσπόταις τε ἀγαθοῖς ἐντεύξεσθαι καὶ ἑταίροις· τοῖς δὲ πολλοῖς ἀπιστίαν παρ-
έχει. εἴ τι οὖν ὑμῖν πιθανώτερός εἰμι ἐν τῇ ἀπολογία ἢ τοῖς Ἀθηναίων δικασταῖς, εὖ ἂν ἔχοι.

Cap. XIV. Εἰπόντος δὴ τοῦ Σωκράτους ταῦτα, ὑπο-
λαβὼν ὁ Κέβης ἔφη· ὦ Σώκρατες, τὰ μὲν ἄλλα ἔμοιγε

μεν, quod primus spreuit Heindorf; revocavit autem nuper Herm. v. explicati.

ἔαν θεός] ἄν Bodl.

ἀπολείπων] ἀπολιπών Bodl. Ven. II etiam ab Herm. spretum.

E. ἔμοιγε δοκεῖ] Sic Bodl. Ven. II Tub. et Stob. Edit. vett. δοκεῖ ἔμοιγε.

eodem modo positum Ar. Plut. 196 κἂν ταῦτ' ἀνύσῃται (sibi paraverit), τετραράκοντα βούλεται. Aesch. Prom. 700 τὴν πρὶν γε χρείαν ἡνύσασθ' ἐμοῦ πάρα κούφως. Soph. Trach. 996 ἰερῶν οἶαν οἶαν ἐπὶ μοι μελέω χάριν ἡνύσω. Theocr. V. 143 ὅττι πότ' ἤδη ἀνυσάμαν τὸν ἀμνόν. Id. XVIII. 16 ἀγαθὸς τις ἐπέπτατο ἐρχομένω τοι — ὡς ἀνύσαιο. Pluralem ἡνύσαμεν qui defenderunt Astius, Bernhardt Syntax. p. 416. C. F. Hermann. Abhandl. u. Beitr. p. 72, ii voluerunt esse communicativum atque personarum numerum crebro ita variari monuerunt. In quo tamen uno certe nomine falsi sunt. Nam quod statuerunt istam numerorum variationem etiam in binis membris copula connexis locum habere, eius loquendi rationis nullum usquam aliud investigari exemplum poterit. Ex quo consequens est, ut ἡνυσάμην unice verum putandum sit. Quod si quaerimus, cur male depravatum sit, causa in promptu est. Nam primum quidem scribis notius fuit activum ἀνύτειν, cum medium verbum usurpetur rarius. Quam-

quam illud nec a prosae orationis consuetudine alienum fuisse evincunt quae notantur Toup. Add. ad Theocr. p. 400 et Baehr. ad Plut. Alcib. p. 214. Deinde corruptionis opportunitatem dedit, quod continuo sequitur et in singularis numeri vicem substituitur ἐλθόντες — εἰσόμεθα. De qua numeri permutatione Graecis utique frequentata v. Lobeck. ad Aiac. v. 191. Iacobus ad Del. epigr. X. 89. Bernhardt l. c. Matthiae Gr. §. 293. al.

Ταῦτ' ἀπολογοῦμαι] haec pro me affero. De constructione verborum ἀπολείπων — οὐ χαλεπῶς φέρω v. Matth. §. 551.

E. ἀπιστίαν παρέχει] Tertia verbi personae intellectu αὐτόposita non rari est usus, v. infra ad p. 93 B. Itaque sententia est haec: quamquam res magnae multitudini est incredibilis. Pravo iudicio nuper Hirschig. verba: τοῖς δὲ πολλοῖς — παρέχει sciolo alicui deberi statuit. De constructione verborum: εἴ τι πιθανώτερός εἰμι, — εὖ ἂν ἔχοι vide ad Apolog. p. 25 B.

δοκεῖ καλῶς λέγεσθαι, τὰ δὲ περὶ τῆς ψυχῆς πολλὴν 70
ἀπιστίαν παρέχει τοῖς ἀνθρώποις, μή, ἐπειδὴν ἀπαλλαγῇ
τοῦ σώματος, οὐδαμοῦ ἔτι ἦ, ἀλλ' ἐκείνη τῇ ἡμέρᾳ δια-
φθείρηται τε καὶ ἀπολλύηται, ἢ ἂν ἄνθρωπος ἀποθάνῃ·
εὐθὺς ἀπαλλαττομένη τοῦ σώματος καὶ ἐκβαίνουσα ὡς-
περ πνεῦμα ἢ καπνὸς διασκεδασθεῖσα οἴχηται διαπτο-
μένη καὶ οὐδὲν ἔτι οὐδαμοῦ ἦ· ἐπεὶ, εἴπερ εἴη που αὐτῇ
καθ' αὐτὴν ξυνηθροισμένη καὶ ἀπηλλαγμένη τούτων τῶν
κακῶν, ὧν σὺ νῦν δὴ διήλθες, πολλὴ ἂν ἐλπὶς εἴη καὶ
καλή, ὦ Σώκρατες, ὡς ἀληθῆ ἔστιν ἃ σὺ λέγεις. ἀλλὰ B
τοῦτο δὴ ἴσως οὐκ ὀλίγης παραμυθίας δεῖται καὶ πίστεως,

P. 70. ἄνθρωπος] V. ὁ ἄνθρωπος. Articulum cum Ven. II Flor. b delevi, de cuius omissione v. ad Prot. p. 355 A. Bekker, et Tur. ἄνθρωπος. Pro ἀποθάνῃ Ven. II Bodl. pr. m. ἀποθνήσκει, Sed rursus Herm. codicem suum deseruit.

διαπτομένη] Sic Bodl. Coisl. Ven. III Par. ACEI Ambr. Aug. Flor. a b c d i. Vulgo minus Attice διαπταμένη. Vind. Φ διαπταμένη. Dein αὐτῆν Bodl.

νῦν δὴ διήλθες] δὴ e Bodl. additum.

Cap. XIV. P. 70. πολλὴν ἀπιστίαν παρέχει τ. ἀνθρ., μή, ἐπ.] Habes constructionem ad sensum conformatam. Etenim cum ἀπιστία ita dicatur, ut adiunctam habeat metus ac timoris significationem, quasi dictum sit πολὺν φόβον παρέχει, subiciuntur haec: μή, ἐπειδ., ἀπ. — οὐδαμοῦ ἔτι ἦ. Quam rationem Graeci neutiquam refugerunt. Xen. Symp. VIII. 34 δοκοῦσιν ἀπιστοῦσιν εἰκέναι, μή — οὐκ ἀποτελοῦσιν. Plat. Hipp. mai. p. 300 D ἐνθυμοῦμαι, μή παύσης, ubi v. annot. Infra p. 88 C εἰς ἀπιστίαν καταβαλεῖν — μή οὐδενὸς ἄξιον εἶμεν κριταῖ. Insolentius etiam p. 91 D dicitur: ἀδελον παντί, μή — ἀπολλύηται. Deinde quod Heindorfius verba εὐθὺς ἀπαλλαττομένη praecedentibus iungenda censet, ita ut ista καὶ ἐκβαίνουσα etc. aliud ordiantur membrum periodi, de ea re fateor me cum eo dissentire. Nam haec certe: εὐθὺς ἀπαλλ. τοῦ σώμ. καὶ ἐκβαίνουσα nullo modo ad diversas partes trahenda esse vel illud docere videtur, quod nomen τοῦ σώματος et εὐθὺς neces-

sario ad ἐκβαίνουσα intellegendum est. Itaque inde ab εὐθὺς ἀπαλλ. nova inchoatur sententia vel potius novum orationis membrum; quod cum repetat superiora iisque illustrandis inserviat, non opus fuit, ut καὶ ab initio praemitteretur. v. ad p. 68 E. Ceterum εὐθὺς ἀπαλλ. est statim ut discedit. Infra p. 75 B γερόμενοι εὐθὺς ἐωρῶμεν. Ibid. C ἠπιστάμεθα — — εὐθὺς γενόμενοι. Advertes etiam participiorum cumulationem, ἐκβαίνουσα — διασκεδασθεῖσα οἴχηται διαπτομένη, quae tamen non caret idonea ratione.

B. οὐκ ὀλίγης παραμυθίας δεῖται] „Graecum παραμυθία nou solum est consolatio animi, sed etiam iudicii confirmatio, qua sententia difficilis et incredibilis ad probabilitatem explicatur.“ WYTTENB., quem vid. ad h. l. Quippe indicat haec vox proprie eam vim orationis, quae affectus hominum componendo ipsorum animos tranquillos reddit, flectit, regit. De Rep. V. p. 476 E. Muret. Varr. Lect. II. 4. Ceterum tenenda notio immortalitatis Platonica, quae pro-

ὡς ἔστι τε ἡ ψυχὴ ἀποθανόντος τοῦ ἀνθρώπου καὶ τινα δύναμιν ἔχει καὶ φρόνησιν. Ἀληθῆ, ἔφη, λέγεις, ὁ Σωκράτης, ὦ Κέβης. ἀλλὰ τί δὴ ποιῶμεν; ἢ περὶ αὐτῶν τούτων βούλει διαμυθολογῶμεν, εἴτε εἰκὸς οὕτως ἔχειν, εἴτε μή; Ἐγὼ γ' οὖν, ἔφη ὁ Κέβης, ἠδέως ἂν ἀκούσαιμι, ἤντινα δόξαν ἔχεις περὶ αὐτῶν. Οὐκ οἶμαι, ἢ δ' ὅς ὁ Σωκράτης, εἰπεῖν τινα νῦν ἀκούσαντα, οὐδ' εἰ κωμωδιοποιὸς εἴη, ὡς ἀδολεσχῶ καὶ οὐ περὶ προσηκόντων τοὺς λόγους ποιῶμαι. εἰ οὖν δοκεῖ, χρὴ διασκοπεῖσθαι.]

Cap. XV. Σκεψώμεθα δ' αὐτὸ τῆδέ πη, εἴτε ἄρα ἐν Αἴδου εἶσιν αἱ ψυχὰι τελευτησάντων τῶν ἀνθρώπων,

B. ἡ ψυχῆ] ἢ servarunt Bodl. Vat. Tub. Ven. II Vind. Φ Par. CG Ambr. Flor. d m. Vulgo deest.

C. κωμωδιοποιός] Vulg. κωμωδοποιός. Sed Bodl. Vat. Ven. II Vind. 2 5 Par. A CH Flor. c d i m. Pal. Creuzeri κωμωδοποιός. v. ad Apol. p. 18 D et Pierson. ad Moer. p. 240, qui nescio an minus recte iudicaverit formam κωμωδοποιός ex Platone omnino summovendam esse.

εἰ οὖν δοκεῖ, χρὴ] Sic Bodl. Vat. Ven. II Vind. Φ Par. ACEGHI Ambr. Aug. Flor. a b d i m. Vett. editt. habent: εἰ οὖν δοκεῖ καὶ χρὴ διασκοπεῖσθαι, σκεψώμεθα αὐτὸ τ. π. Voc. δ' post σκεψώμεθα e Bodl. Ven. II Tub. Aug. Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. a insertum. Vides igitur non esse verum quod scripsit Schleiermacherus p. 474 ed. 2 δὲ non satis commendationis a codicibus habere ideoque veterem lectionem servandam esse.

ditur his verbis: ὡς ἔστι τε ἡ ψυχὴ ἀποθανόντος τοῦ ἀνθρώπου καὶ τινα δύναμιν ἔχει καὶ φρόνησιν. Bene Olympiodorus: Τινὰ ζῆσιν ἔχει καὶ γνωστικὴν ἐπιστήμην, ἢ μὲν γὰρ δύναμις τὴν ζωτικὴν ἐνέργειαν δηλοῖ, ἢ δὲ φρόνησις τὴν ἐπιστημονικὴν. Etenim φρόνησις nunc non est sapientia, sed mentis conscientia, cogitandi et intellegendi facultas s. intellegentia, ut infra p. 111 B, ubi v. annotat. nostr.

διαμυθολογῶμεν] De hoc verbo dictum est ad p. 61 E.

Οὐκ οἶμαι] In his ἂν ad infinitivum εἰπεῖν referri oportere monere vix opus est. De comicorum in Socratem dieteriis v. ad Apolog. p. 18 BC et 19 C. Audias praeterea Olympiodorum ad h. l. p. 44: Ὁ γὰρ Ἐὐπολῖς φησι περὶ τοῦ Σωκράτους· τί δὴ τ'

ἐκεῖνον τὸν ἀδολεσχῆν καὶ πτωχόν, ὃς τὰλλα μὲν πεφρόντικεν, ὁπόθεν δὲ καταφαγεῖν ἔχοι, τούτου κατημέληκεν (de quibus versibus metro suo restituendis v. quos laudat Runkel, ad Pherecyd. et Eup. Fragm. p. 176 et 224. Meinek. Fragm. Com. Vol. II. P. 1. p. 553) νῦν οὖν οὐκ ἔρει ταῦτα περὶ ἐμοῦ ζητούντος, εἰ εἶσιν αἱ ψυχὰι ἡμῶν ἐν ἄδου, ἢ μή. Χρειώδης γὰρ ἡ τοιαύτη ζητησις. De ἀδολεσχίᾳ a comicis obiecta philosophis v. Ruhaken. ad Xen. Mem. I. 2. 31.

Cap. XV. C. Σκεψώμεθα δ' αὐτὸ τῆδέ πη —] Consideremus autem rem hac fere ratione, utrum nimirum in Orco versentur mortuorum animi, an non. In his pronomen αὐτὸ spectat ad antegressa, τῆδέ πη au-

εἴτε καὶ οὐ. παλαιὸς μὲν οὖν ἔστι τις λόγος, οὗ μεμνημένα, ὡς εἶσιν ἐνθένδε ἀφικόμεναί ἐκεῖ, καὶ πάλιν γε δεῦρο ἀφικνοῦνται καὶ γίνονται ἐκ τῶν τεθνεώτων. καὶ εἰ τοῦθ' οὕτως ἔχει, πάλιν γίνεσθαι ἐκ τῶν ἀποθανόντων τοὺς ζῶντας, ἄλλο τι ἢ εἶεν ἂν αἱ ψυχὰι ἡμῶν ἐκεῖ; οὐ γὰρ ἂν πον πάλιν ἐγίγνοντο, μὴ οὐσαί, καὶ τοῦτο ἱκανὸν τεκμήριον τοῦ ταῦτ' εἶναι, εἰ τῶ ὄντι φανερόν γίγνοιτο, ὅτι οὐδαμόθεν ἄλλοθεν γίνονται οἱ ζῶντες ἢ ἐκ τῶν τεθνεώτων. εἰ δὲ μὴ ἔστι τοῦτο, ἄλλου ἂν του δέοι λόγου. Πάνν μὲν οὖν, ἔφη ὁ Κέβης. Μὴ τοίνυν κατ' ἀνθρώπων, ἢ δ' ὅς, σκόπει μόνον τοῦτο, εἰ

τις λόγος] Sic Bodl. Coisl. Ven. II Vind. TΦ Par. L Ambr. Flor. c. Vett. editt. τις ὁ λόγος. Dein οὗτος vulgo post λόγος insertum om. Bodl. Tub. Ven. II Ambr., quod abiicerunt etiam Turr. et Hermann.

ἄλλο τι ἢ] Bekker. ἢ delevit auctoritate unius Ven. II, in quo a p. m. omisum erat. Dein Bodl. Tub. Ven. II αἱ ψυχὰι ἡμῶν. Vulg. ἡμῶν αἱ ψυχὰι scribitur.

D. γίγνοιτο] Vat. Vind. Φ Ambr. Flor. d γένοιτο, quod praetulit Bekker. et ed. Tur. Praesens apte quaestionis instituendae perpetuitatem denotat.

tem referendum est ad rei explicandae rationem, quae deinde verbis: εἴτε ἄρα — εἴτε καὶ οὐ accuratius indicatur. De εἴτε ἄρα v. Thucyd. VI. 60, 2 ἀναπέδεται — εἴτε ἄρα καὶ τὰ ὄντα μηνύσαι εἴτε καὶ οὐ. Ceterum refertur hoc placitum de reciproco animorum ortu et interitu ad Orphicos et Pythagoreos itemque ad Empedoclem ab Olympiodoro in scholiis ad h. l. p. 45 sqq. ed. Finckh. et p. 103 Ὀρφικός τε γὰρ καὶ Πυθαγόρειος (λόγος) ὁ πάλιν ἄγων τὰς ψυχὰς εἰς τὸ σῶμα καὶ πάλιν ἀπὸ τοῦ σώματος ἀνάγων, καὶ τοῦτο κύκλω πολλῶν. Vid. eundem in Fragm. Orphic. p. 510 ed. Herm. conf. Lobeck. Aglaoph. p. 797. De Empedocle conf. quae disputavit Sturzius p. 459—484. Παλαιὸς λόγος doctrina haec dicitur etiam Menon. p. 81 B.

ὡς εἶσιν — ἐκεῖ] Inge: ὡς εἶσιν ἐκεῖ, ἐνθένδε (ἐκεῖσε) ἀφικόμεναί, eos illic esse (vigere) hinc eo profectos.

εἰ τοῦθ' οὕτως ἔχει, πάλιν γίνεσθαι — τοὺς ζῶντας] Frustra haesit Heindorf. in hac verborum constructione. Nam infinitivum addi vocibus relativis atque demonstrativis per exegesisin novimus. Itaque verba convertas hoc modo: und wenn sich dieses so verhält, dass nämlich die Lebenden wiederum aus den Todten entstehen etc. Prorsus eodem modo p. 71 B ἀλλ' ἔργον γοῦν πανταχοῦ οὕτως ἔχειν ἀναγκαῖον, γίνεσθαι τε αὐτὰ ἐξ ἀλλήλων γένεσιν τε εἶναι κ. τ. λ. p. 72 A. Euthyphr. p. 11 B πάθος δὲ τι περὶ αὐτοῦ λέγειν, ὅτι πέπονθε τοῦτο τὸ ὄσιον, φιλεῖσθαι ὑπὸ πάντων θεῶν. Xen. An. I. 1, 7 προαισθόμενος τὰ αὐτὰ ταῦτα βουλευόμενος, ἀποστῆναι πρὸς Κύρον.

D. τοῦ ταῦτ' εἶναι —] Intell. τοῦ τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἐκεῖ εἶναι. De pronomine, etiamsi de una tantum re sermo sit, in plurali numero posito v. ad p. 62 D. Itaque conjecturam Forsteri αὐτὰς non praferam cum Heindorf.

βούλει ὄσον μαθεῖν, ἀλλὰ καὶ κατὰ ζώων πάντων καὶ φυτῶν, καὶ ξυλλήβδην ὅσαπερ ἔχει γένεσιν περὶ πάντων ἔιδωμεν, ἄρ' οὕτως γίγνεται πάντα, οὐκ ἄλλοθεν ἢ ἐκ τῶν ἐναντίων τὰ ἐναντία, ὅσοις τυγχάνει ὄν τοιοῦτόν τι, οἷον τὸ καλὸν τῷ ἀσχηρῷ ἐναντίον που καὶ δίκαιον ἀδίκῳ, καὶ ἄλλα δὴ μυρία οὕτως ἔχει. τοῦτο οὖν σκεψάμεθα, ἄρα ἀναγκαῖον, ὅσοις ἔστι τι ἐναντίον, μηδαμῶθεν ἄλλοθεν αὐτὸ γίνεσθαι ἢ ἐκ τοῦ αὐτῷ ἐναντίου.

ὄσον] V. ὄσδιον, quod e Bodl. Tub. Ven. II correctum.

ἔιδωμεν] V. εἰδωμεν, i. e. sciamus. Verum suppediavit Vind. Φ et pr. Coisl. cum Stobaeo et Olympiodoro, quod vel invito Bodl. suo suscepit Herm.

πάντα] Sic Bodl. Vat. Ven. II Tub. Vind. Ambr. Flor. d. Vulgo ἄπαντα, quod tenuit Bekker.

E. τοῦτο οὖν] τοῦτο οὖν, quod vett. editt. ignorant, e Bodl. Tub. Ven. II Vat. Flor. d i Vind. Φ Par. G Ambr. restitutum. Pro ἄρα, quod Wytttenbachio in interrogatione aliunde suspensa mirum accidit, Vind. 8 et Aug. οὖν εἰ habent. Sed vid. explic. Mox pro αὐτῷ Vat. Vind. Φ Par. G Ambr. ἐναντῷ, unde Turicenss. de coniectura Baiteri: ἐκ τοῦ αὐτῷ. Quod nobis non placet, Lat. item dixeris ipsi.

ἀλλὰ καὶ κατὰ ζώων πάντων —] Olympiodorus: Τινὲς ἐκ τούτου τοῦ φησίδιου ἀπατηθέντες φηθήσαν τὸν Πλάτωνα πάσαν ψυχὴν ἀθανατίζειν. ἀμεινον δὲ ὁ φιλόσοφος Ἀμμώνιος ἐξηγήσατο τὸ χωρίον τοῦτο, λέγων, ὅτι τοῦτο φησι πρὸς τὸ ἐφεξῆς ἐπιχείρημα, τὸ κατασκευάζον, ὅτι τὰ ἐναντία μεταβάλλει εἰς ἄλληλα. In proximis ἄρα quod ponitur in interrogatione aliunde suspensa, tetigimus hunc usum ad Lachetem p. 185 D et Remp. V. p. 462 A. Ceterum tenendum ista: οὐκ ἄλλοθεν ἢ ἐκ τῶν ἐναντίων τὰ ἐναντία addita esse ad explicandam vocem οὕτως, ut liceat hanc φῆσιν Germanice ita convertere: sondern — lass uns überhaupt sehen, ob alles mit einander auf folgende Weise entsteht, nämlich nicht anderswoher als das Gegentheil aus dem Gegentheil. Sic mox p. 71 A πάντα οὕτως γίγνεται, ἐξ ἐναντίων τὰ ἐναντία πράγματα;

E. τοιοῦτόν τι] sc. ἐναντίον. Olympiodorus ad h. l. Ὅτι — τὰ ἐναντία μεταβάλλει εἰς ἄλλη-

λα, δεικνυσιν ἢ λέξις τριχόθεν· πρῶτον μὲν ἐκ τῆς ἐπαγωγῆς· παρατίθεται γὰρ πολλὰ ἐναντία, ἃ δεικνύσι μεταβάλλοντα εἰς ἄλληλα· δεύτερον ἐκ τῶν γενέσεων αὐτῶν καὶ τῶν ὁδῶν· εἰ γὰρ αἱ ὁδοὶ μεταβάλλουσιν εἰς ἄλληλας, οἷον ἢ λευκανοῖς εἰς τὴν μέλαν, πολλῶ μᾶλλον καὶ τὰ τέλη μεταβάλλουσιν εἰς ἄλληλα, οἷον τὸ λευκὸν καὶ τὸ μέλαν· τρίτον, ὅτι χαλενοὶ ἢ φύσις, εἰ ἐν μὲν τῶν ἐναντίων μεταβάλλει εἰς τὸ ἄλλο, ἐν δὲ οὐ μεταβάλλει· καὶ τῷ χρόνῳ ἐπιλείπει θάτερον τῶν ἐναντίων, καὶ οὐδὲν ἐναντίον ἔσται, τὸ λοιπὸν μηδὲν ἔχον, εἰς ὃ μεταβαλεῖ.

μηδαμῶθεν ἄλλοθεν αὐτὸ γίγνεσθαι] Animadversione digna est haec a plurali numero, ὅσοις, ad singularem, αὐτό, h. e. αὐτῶν ἕκαστον transitio, cuius aliud exemplum simillimum attulit Heindorf. ex Legg. II. p. 667 B Οὐκοῦν πρῶτον μὲν δεῖ τόδε γε ὑπάρχειν ἀκασιν, ὅσοις συμπαροῦται τις χάρις, ἢ τοῦτο αὐτὸ μόνον αὐτοῦ (h. e. αὐτῶν ἕκαστον) τὸ σπουδαιότατον εἶναι, ἢ

οἷον ὅταν μείζον τι γίγνηται, ἀνάγκη που ἐξ ἐλάττονος ὄντος πρότερον ἔπειτα μείζον γίνεσθαι; Ναί. Οὐκοῦν καὶ ἐλάττον γίγνηται, ἐκ μείζονος ὄντος πρότερον ὅστε— 71 ρον ἐλάττον γενήσεται; Ἔστιν, ἔφη, οὕτω. Καὶ μὴν ἐξ ἰσχυροτέρου τὸ ἀσθενέστερον καὶ ἐκ βραδυτέρου τὸ θάττον; Πάνυ γε. Τί δαί; ἂν τι χείρον γίγνηται, οὐκ ἐξ ἀμεινονος, καὶ ἂν δικαιότερον, ἐξ ἀδικωτέρου; Πῶς γὰρ οὐ; Ἰκανῶς οὖν, ἔφη, ἔχομεν τοῦτο, ὅτι πάντα οὕτω γίγνεται, ἐξ ἐναντίων τὰ ἐναντία πράγματα; Πάνυ γε. Τί δ' αὖ; ἔστι τι καὶ τοιόνδε ἐν αὐτοῖς, οἷον μεταξύ

P. 71. ἐξ ἰσχυροτέρου] γε, quod vulgo post ἰσχυροτέρου additur, abest a Bodl. Tub. Vat. Ven. II Vind. Φ Par. G Ambr. recte illud nuper a novissimis editoribus abiectum.

Τί δαί;] V. δέ, quod e Coisl. Ven. II Vind. Φ Par. ACH Flor. a c m Zitt. mutavimus invitit Turicenss. et Herm. Dein ἂν δικ. Bodl. Tub. Vat. Ambr. pro ἔαν δ.

ἐξ ἀδικωτέρου;] V. οὐκ ἐξ ἀδ. Recte οὐκ om. Bodl. Tub. Coisl. Ven. III Vind. T Par. ACEHIL Zitt. Ang. Flor. a b c m.

τινα ὁρθότητα, ἢ τὸ τρίτον ὠφέλειαν;

ἐξ ἐλάττονος ὄντος πρότερον ἔπειτα μείζον γ.] De hac loquendi ratione, qua εἶτα et ἔπειτα participiis subiiciuntur vel interdum etiam anteponuntur, v. Gregor. Corinth. p. 145 ed. Sch. ibique Koen. Hoogeven. De particulis p. 384. Heindorf. ad Phaed. p. 82 C. Hermann. ad Viger. p. 772. Duplex autem hic particularum usus est. Aut enim indicant simpliciter alteram actionem alteram sequi, ut h. l. et infra p. 82 C, aut praecedenti alieni rei aliam ita annectunt, ut quod postea insecutum sit, id praeter expectationem evenisse significent, unde saepenumero per tam en interpretandae sunt, ut Gorg. p. 527 D. Protagor. p. 341 E ibique ann. Andoc. De myst. 137 ἔχοντες μὲν τὸ σῶμα τοῦμόν, κρατοῦντες δὲ τοῦ βίου καὶ τῆς οὐσίας τῆς ἐμῆς εἶτα ἔσασθον. Xen. Cyrop. I. 6, 11 οἶε τι, ἔφη, ἦττον τοῦτο εἶναι ἀσχηρὸν, ἢ εἰ τις ἔχων μὲν ἀγροῦς, ἔχων δὲ ἐργάτας, οἷς ἂν ἐργάζοιτο, ἔπειτα ἐπὶ τὴν γῆν ἀργούσαν ἀνωφέλητον εἶναι;

P. 71. Ἰκανῶς οὖν ἔχομεν τοῦτο] h. e. satisne hoc tenemus. Infra p. 100 D τοῦτο — ἔχω παρ' ἐμῶν. Phileb. p. 30 E, ubi v. ann., ἔχω καὶ μάλα ἰκανῶς. Legg. IV. p. 710 B ἔχετε γὰρ ὁ λέγω πον. Theaet. p. 154 A ἔχεις ταῦτο ἰσχυρῶς; Alcib. I. p. 110. Arist. Av. 1448 πάντ' ἔχεις, omnia tenes.

ἔστι τι τοιόνδε — οἷον μεταξύ ἀμφ.] h. e. estne aliquid medium inter duo contraria? Quae verba continuo explicantur his additis: δυοῖν ὄντων δύο γενέσεις, h. e. duplex origo mutua. Docere enim dehinc instituit Socrates omnem mutationem tripliciter contineri statu. Primus est, ex quo res mutata discedit, secundus, quem res mutata permeat, quem quidem philosophus hoc loco γενέσεως nomine appellavit, tertius est ille, in quem res mutata pervenit. Verissime autem iudicat δυοῖν ὄντων esse δύο γενέσεις, hoc est duorum contrariorum duplicem esse ex se invicem generationem. Veluti si quis dormit, is ex vigilia transit in somnum. Qui quidem status cum sint contrarii, ille, qui inter hos

ἀμφοτέρων πάντων τῶν ἐναντίων δυοῖν ὄντων δύο γενέσεις, ἀπὸ μὲν τοῦ ἑτέρου ἐπὶ τὸ ἕτερον, ἀπὸ δ' αὖ τοῦ ἑτέρου πάλιν ἐπὶ τὸ ἕτερον; μείζονος μὲν γὰρ πράγματος καὶ ἐλάττονος μεταξὺ αὐξήσις καὶ φθίσις, καὶ καλοῦμεν οὕτω τὸ μὲν αὐξάνεσθαι, τὸ δὲ φθίνειν; Ναί, ἔφη. Οὐκοῦν καὶ διακρίνεσθαι καὶ συγκρίνεσθαι, καὶ ψύχεσθαι καὶ θερμαίνεσθαι, καὶ πάντα οὕτω, κἂν εἰ μὴ χρώμεθα τοῖς ὀνόμασιν ἐνιαχοῦ, ἀλλ' ἔργῳ γοῦν πανταχοῦ οὕτως ἔχειν ἀναγκαῖον, γίνεσθαι τε αὐτὰ ἐξ ἀλλήλων γενέσιν τε εἶναι ἐξ ἑκατέρων εἰς ἀλλήλα; Πάνυ γ', ἢ δ' ὄς.

C Cap. XVI. Τί οὖν; ἔφη, τῷ ζῆν ἔστι τι ἐναντίον, ὥσπερ τῷ ἐργηγορέναι τὸ καθεύδειν; Πάνυ μὲν οὖν, ἔφη. Τί; Τὸ τεθνάναι, ἔφη. Οὐκοῦν ἐξ ἀλλήλων τε γίνονται ταῦτα, εἴπερ ἐναντία ἔστι, καὶ αἱ γενέσεις εἰσὶν

B. μείζονος μὲν γὰρ] μὲν e Bodl. Tub. Vat. Ven. II Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. d additum. In Bodl. a pr. m. et Tub. γὰρ omissum, quod erunt qui non improbant, ut fecit Herm. v. annot. ad p. 87 A.

εἶναι ἐξ ἑκατέρων] Sic Bodl. Vat. Tub. Ven. II Vind. Φ Par. G Flor. d. Editt. vulgo habent εἶναι ἑκατέρον. Dein Bodl. Ven. II pro Πάνυ γ' habent Πάνυ μὲν οὖν, ut ed. Herm.

medius interiectus est, recte duplicis generis esse iudicatur. Ant enim ex vigilia ad somnum transitur, id quod obdormiscere dicimus, aut ex somno ad vigiliam pervenimus, quod expergisci solemus vocare. Sed audias quae Plato ipse de hac re deinceps disputavit.

B. κἂν εἰ μὴ χρώμεθα —] Buttmann. ad Dem. Orat. Mid. p. 33: „Voculam ἄν in formula κἂν εἰ proprie pertinere ad alterum post eἰ verbum negari non potest: primaria enim dictionis forma haec est, καὶ εἰ τοῦτο ποιοίην, εὖ ἄν ποιοίην, quod in sermone obliquo vel sic efferendum est, δοκῶ μοι, καὶ εἰ τοῦτο ποιοίην, εὖ ἄν ποιείην, vel sic, κἂν εἰ τοῦτο ποιοίην, εὖ ποιείην. Iam vero haec formula κἂν εἰ, plane ut Lat. etiamsi, in sermone quotidiano induerat significationem cognatam particulae καίπερ, Lat. quamvis. Quo facto, quoties id, quod protasi contineretur, non ut incertum esset enuntian-

dum, in Graeco quidem sermone indicativus in optativi locum succedebat, remanente tamen illo κἂν, in quo particula ἄν consopita nunc erat. De qua re monuit Heindorf. ad Platon. Sophist. §. 69. conf. ad Politic. p. 308 C.

γενέσιν τε εἶναι ἐξ ἑκατέρων] h. e. duplicemque esse ex altero ad alterum transitionem. Sic p. 71 E ἐκ τῶν τεθνεώτων ἄν εἴη γενέσεις εἰς τοὺς ζῶντας, quorum verborum rationem cur Heindorf. aliam esse indicaverit, equidem non perspicio. Atque prorsus eodem modo paullo ante scriptum legimus: δυοῖν ὄντων δύο γενέσεις, ἀπὸ μὲν τοῦ ἑτέρου ἐπὶ τὸ ἕτερον, ἀπὸ δ' αὖ τοῦ ἑτέρου πάλιν ἐπὶ τὸ ἕτερον.

Cap. XVI. C. καὶ αἱ γενέσεις — δυοῖν ὄντων;] h. e. et rationes, quibus haec gignuntur, duae sunt duobus illis quasi interiectae? De μεταξὺ

αὐτῶν μεταξὺ δύο δυοῖν ὄντων; Πῶς γὰρ οὐ; Τὴν μὲν τοῖνυν ἑτέραν συζυγίαν ὧν νῦν δὴ ἔλεγον ἐγὼ σοι, ἔφη, ἐγὼ, ὁ Σωκράτης, καὶ αὐτὴν καὶ τὰς γενέσεις· σὺ δὲ μοι τὴν ἑτέραν. λέγω δὲ τὸ μὲν καθεύδειν, τὸ δὲ ἐργηγορέναι, καὶ ἐκ τοῦ καθεύδειν τὸ ἐργηγορέναι γίνεσθαι καὶ ἐκ τοῦ ἐργηγορέναι τὸ καθεύδειν, καὶ τὰς γενέσεις D αὐτῶν τὴν μὲν καταδαρθάνειν εἶναι, τὴν δὲ ἀνεγείρεσθαι. ἱκανῶς σοι, ἔφη, ἢ οὐ; Πάνυ μὲν οὖν. Λέγε δὴ μοι καὶ σὺ, ἔφη, οὕτω περὶ ζωῆς καὶ θανάτου. οὐκ ἐναντίον μὲν φῆς τῷ ζῆν τὸ τεθνάναι εἶναι; Ἐρωγε. Γίνεσθαι δὲ ἐξ ἀλλήλων; Ναί. Ἐξ οὖν τοῦ ζῶντος τί τὸ γιγνόμενον; Τὸ τεθνηκός, ἔφη. Τί δαί, ἢ δ' ὄς, ἐκ τοῦ τεθνεώτος; Ἀναγκαῖον, ἔφη, ὁμολογεῖν, ὅτι τὸ ζῶν. Ἐκ τῶν τεθνεώτων ἄρα, ὦ Κέβης, τὰ ζῶντά τε καὶ οἱ ζῶντες γίνονται; Φαίνεται, ἔφη. Εἰσὶν ἄρα, ἔφη, αἱ E ψυχὰς ἡμῶν ἐν Αἴδου. Ἐοικεν. Οὐκοῦν καὶ τοῖν γενεσέοις τοῖν περὶ ταῦτα ἢ γ' ἑτέρα σαφῆς οὐσα τυγχάνει; τὸ γὰρ ἀποθνήσκειν σαφές δήπου, ἢ οὐ; Πάνυ μὲν οὖν, ἔφη. Πῶς οὖν, ἢ δ' ὄς, ποιήσομεν; οὐκ ἀνταποδώσομεν

C. αὐτῶν μεταξὺ] V. αὐτῶν, quod e Bodl. Vat. Tub. Ven. II aliis mutatum. Verba καὶ ἐκ τοῦ καθεύδειν Bodl. habet in marg. adscripta, Tubing. omittit. Tenuit tamen etiam Herm. nec quisquam ea iure spreverit, ut hoc quoque exemplo pateat Bodleiano libro pr. m. et Tubing. non omnia esse tribuenda.

D. ἱκανῶς σοι, ἔφη, ἢ οὐ;] V. ἔφην, quod e plurimis libris emendatum. Mox vulgo: Λέγε δὴ καὶ σὺ μοι. Aliter Bodl. Tub. Ven. II. Τί δαί, ἢ δ' ὄς, ἐκ τοῦ τ.] V. δέ. Mutavimus cum Coisl. Ven. A Par. CHL Flor. a b c i m. Antiquum servant Turice. aliique.

E. τοῖν γενεσέοις τοῖν] Sic Bodl. pr. Tub. Coisl. Ξ II Vind. Φ Ambr. Flor. d Par. G. Vulgo bis ταῖν scribebatur. v. ann.

interiecto δύο a casu suo seiuncto v. Matthiae Gr. §. 595. 3.

συζυγίαν] i. e. par rerum contrariarum.

σὺ δὲ μοι τὴν ἑτέραν] intell. ἐρεῖς.

D. καὶ τὰς γενέσεις — ἀνεγείρεσθαι] De hac constructione dixit Matth. §. 289 annot. 8.

ἱκανῶς σοι, ἔφη, ἢ οὐ;] Menon. p. 75 B ἱκανῶς σοι, ἢ ἄλλως πως ζητεῖς; Gorg. p. 448 A ἐὰν σοί γε ἱκανῶς.

E. Οὐκοῦν καὶ τοῖν γενεσέοις] De articulo masculini gene-

ris nominibus femininis in numero duali addi solito hodie res tralaticia. v. Gregor. Corinth. p. 304. Markland. ad Eur. Supplic. 140. Ernesti ad Xen. Mem. II. 3, 18. Matth. §. 281. Pro γενεσέοις, quod libri tuentur omnes, ex praecepto grammaticorum scribendum fuit γενέσεων accentu in syllabam antepaenultimam reiecto. Et videri sane potest in quibusdam libris olim ita scriptum fuisse, cum Paris. et Vatic. a nostri exhibeant γενεσέοις. Sed vid. Buttmanni Gr. amplior. T. I. p. 190.

τὴν ἐναντίαν γένεσιν, ἀλλὰ ταύτη χωλὴ ἔσται ἢ φύσις; ἢ ἀνάγκη ἀποδοῦναι τῷ ἀποθνήσκειν ἐναντίαν τινὰ γένεσιν; Πάντως που, ἔφη. Τίνα ταύτην; Τὸ ἀναβιώσκεισθαι. Οὐκοῦν, ἢ δ' ὅς, εἶπερ ἔστι τὸ ἀναβιώσκεισθαι, 72 ἐκ τῶν τεθνεώτων ἂν εἴη γένεσις εἰς τοὺς ζῶντας αὕτη, τὸ ἀναβιώσκεισθαι; Πάνν γε. Ὁμολογεῖται ἄρα ἡμῖν καὶ ταύτη τοὺς ζῶντας ἐκ τῶν τεθνεώτων γεγονέναι οὐδὲν ἦττον ἢ τοὺς τεθνεώτας ἐκ τῶν ζῶντων. τούτου δὲ ὄντος ἱκανόν που ἐδόκει τεκμήριον εἶναι, ὅτι ἀναγκαῖον τὰς τῶν τεθνεώτων ψυχὰς εἶναι που, ὅθεν δὴ πάλιν γίνεσθαι. Δοκεῖ μοι, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ἐκ τῶν ὁμολογημένων ἀναγκαῖον οὕτως ἔχειν.

Cap. XVII. Ἴδὲ τοίνυν οὕτως, ἔφη, ὦ Κέβης, ὅτι οὐδ' ἀδίκως ὁμολογήκαμεν, ὡς ἐμολ δοκεῖ. εἰ γὰρ μὴ B ἀεὶ ἀνταποδιδόη τὰ ἕτερα τοῖς ἑτέροις γιννόμενα, ὡς περὶ κύνκλω περιούτα, ἀλλ' εὐθελὰ τις εἴη ἢ γένεσις ἐκ

P. 72. ἐδόκει] Quod vulgo deerat ἐδόκει, id restitutum est e Bodl. Vat. Tub. Ven. II Vind. Φ Par. A CG Ambr. Flor. a d i m.

ὅθεν δὴ] δεῖ Ven. Ξ Par. C Flor. a d m et Ven. II ex corr., quod requirebat Heindorf. sed v. ann.

οὕτως] Vulgo omissum ex Bodl. Ven. II Tub. revocare non dubitavimus. Pertinet οὕτως ad verba sequentia.

ἢ ἀνάγκη ἀποδοῦναι] Ne quis cum Hirschigio requirat ἀνταποδοῦναι, conf. ann. ad p. 59 C.

P. 72. ἱκανόν που ἐδόκει τεκμήριον εἶναι] Imperfectum ἐδόκει refertur ad ea, quae p. 70 CD de hac re disputata sunt, de qua loquendi ratione v. ann. ad p. 79 C. Deinde pro ὅθεν δὴ πάλιν γίνεσθαι quod coniecit Heindorf. ὅθεν δεῖ πάλιν γίνεσθαι, id etsi in aliquot codd. scriptum legitur, tamen repudiandum censemus. Etenim cum etiam haec in superiore disputatione commemorata sint, necessario oratione obliqua enuntianta fuerunt. Solet autem infinitivus post relativa usurpari, ubi idem re per demonstrativa expressa requiritur. Quod quidem in hunc locum

cadit. Nam ubi pro ὅθεν δὴ posueris καὶ ἐπειθὲν δὴ, infinitivo opus esse videbis. Cf. Legg. X. p. 889 AE et quae collegit Dobraeus ad Arist. Plut. 1112 p. 200 ed. Lips.

Cap. XVII. ὅτι οὐδ' ἀδίκως ὁμολογήκαμεν] h. e. non temere, non iniuria, non sine causa. Eodem modo etiam δικάως λέγειν est recte, non temere dicere p. 73 C, pro quo p. 75 E dicitur ὀρθῶς. Mox ἀνταποδοῦναι positum est intransitive, de quo usu v. Viger. p. 186. Nam sensus hic est: si res contrariae sibi non ita responderent, ut mutua esset earum origo; si generatio non nisi recta esset et simplex, ut mortis e vita, moriendo, non contra.

τοῦ ἑτέρου μόνον εἰς τὸ καταντικρὸν καὶ μὴ ἀνακάμπτου πάλιν ἐπὶ τὸ ἕτερον, μηδὲ καμπὴν ποιοῖτο, οἷσθ' ὅτι πάντα τελευτῶντα τὸ αὐτὸ σχῆμα ἂν σχοίη καὶ τὸ αὐτὸ πάθος ἂν πάθοι καὶ παύσαιτο γιννόμενα; Πῶς λέγεις; ἔφη. Οὐδὲν χαλεπόν, ἢ δ' ὅς, ἐννοῆσαι ὃ λέγω· ἀλλ' οἷον εἰ τὸ καταδαρθάνειν μὲν εἴη, τὸ δ' ἀνεγείρεσθαι μὴ ἀνταποδιδόη γιννόμενον ἐκ τοῦ καθεύδοντος, οἷσθ' ὅτι τελευτῶντα πάντ' ἂν λῆρον τὸν Ἐνδυμίωνα ἀποδεί- C

B. ἀνακάμπτου] Ald. Steph. cum uno Par. E ἀνακάμπτου. Dein Coisl. εἰς τὸ ἕτερον. Pro μηδὲ καμπὴν ποιοῖτο Coisl. Ven. A Ξ Par. HL Aug. Flor. c et pr. Vind. T Par. G Flor. μ. κ. ποιοῖ. Sed Par. E a pr. m. ποιή, Par. I ποιεῖ.

ἐκ τοῦ καθεύδοντος] ex eo, quod dormiat, dictum est per variationem quandam orationis pro ἐκ τοῦ καθεύδειν.

πάντ' ἂν] ἂν, quod in libris omnibus deest, cum Heindorfio et Bekkero addidi de coniectura Fischeri, probante etiam Herm. Vulgatum nuper tueri conatus est Bernhardt Syntax. p. 409. Sed quem comparavit vir doctus locum Dinarchi contra Philoc. p. 110 extr. εἰδότες, ὅτι μετὰ μὲν δικαιοσύνης ἑσθίας ἀμνησούμεθα, — μετὰ δὲ δωροδοκίας — οὐδεμία πόλις σωθείη, is diversi est generis.

B. καὶ μὴ ἀνακ. — καμπὴν ποιοῖτο] Demonstraturus Socrates contraria fieri ex contrariis, ut, si horum alterum gignat alterum, hoc iterum fiat principium alterius eaque ratione disiuncta quasi in orbem redeant, non autem recta linea procedant, utitur verbis a cursoribus et aurigis desumptis. Dicitur autem ἀνακάμπτειν qui circa metam currum flectit, καμπὴν ποιοῖσθαι vero qui retro deinde stadium recurrit. Etenim exacta una stadii parte currus flectebantur circa metam (καμπτήρα), quo altera conficeretur. Qualis cursus appellatus est δρόμος ὃ ἐν καμπῇ. Interdum vero decursa tantum una stadii parte currus retro vehabantur, qualis cursus dicebatur δρόμος ἀκάμπτος, ἀπλοῦς, vel etiam εὐθύς. v. Poll. On. III. 147 et Hesych. v. ἀκαμπτόδρομοι. De ipsa hac Platonis sententia conf. Arist. De gener. et corrupt. libr. I. 3 et II. c. 10. 11, ubi Stagirites eadem fere in hac causa usus est argumentatione. Fuit autem omnino pervulgata apud veteres philosophos opinio, qua statue-

runt omnes res perpetuo tamquam in orbem revolvi; de quo v. Gataker. in Anton. p. 167. 301 al.

τελευτῶντα] tandem; vid. Matth. §. 558. De οἷσθ' ὅτι, h. e. facile intellegis et sponte concedis v. Soph. p. 235 E. Phaed. p. 73 D. Men. p. 85 D, ubi v. ann. Gorg. p. 486 A. De Rep. III. p. 393 D. VI. p. 505 A. X. p. 605 D.

πάντ' ἂν λῆρον τὸν Ἐνδυμίωνα ἀποδείξειε] Recte Stephanus: omnia tandem facerent, ut quae de Endymione dicuntur nugae esse viderentur. Enimvero tum non unus Endymion per longam annorum seriem dormivisse videretur, sed omnia, quae in hac rerum universitate reperuntur, perpetuo premerentur somno. Dictionem copiose et eleganter illustravit Wyttenbach. ad h. l., cuius exemplis ex ipso Platone addas Symp. p. 179 C ἀποδείξαι τινα ἄλλότριον ὄντα. Phaedr. p. 278 C τὰ γεγραμμένα φανῶλα ἀποδείξαι. Menex. p. 237 B ἀποφηναιμένη μετοιοῦντας. Sed idem vir doctus quod verba: καὶ

ξεις καὶ οὐδαμοῦ ἂν φαίνοιτο διὰ τὸ καὶ τᾶλλα πάντα ταῦτόν ἐκείνω πεπονθέναι, καθεύδειν· κἂν εἰ ξυγκρίνοιτο μὲν πάντα, διακρίνοιτο δὲ μή, ταχὺ ἂν τὸ τοῦ Ἀναξαγόρου γερονδὸς εἴη, ὁμοῦ πάντα χρήματα. ὡσαύτως δέ, ὦ φίλε Κέβης, [καὶ] εἰ ἀποθνήσκου μὲν πάντα, ὅσα τοῦ ζῆν μεταλάβοι, ἐπειδὴ δὲ ἀποθάνοι, μένοι ἐν τούτῳ τῷ σχήματι τὰ τεθνεῶτα καὶ μὴ πάλιν ἀναβιώσκειτο, ἄρ' οὐ πολλὴ ἀνάγκη τελευτῶντα πάντα τεθνάναι καὶ μὴδὲν ζῆν; εἰ γὰρ ἐκ μὲν τῶν ἄλλων τὰ ζῶντα γίνονται, τὰ δὲ ζῶντα θνήσκου, τίς μηχανὴ μὴ οὐχὶ πάντα καταναλωθῆναι εἰς τὸ τεθνάναι; Οὐδὲ μία μοι δοκεῖ, ἔφη ὁ Κέβης, ὦ Σώκρατες, ἀλλὰ μοι δοκεῖς παντάπασιν

C. [καὶ] εἰ] καὶ om. Bodl. Tub. et pr. II probante Herm. ἀποθνήσκει Vat. Vind. Φ Par. GHL.

οὐδαμοῦ ἂν φαίνοιτο vertit: et (omnia) nusquam apparent, in eo a recta via videtur declinasse, quandoquidem verbi φαίνοιτο subiectum non est πάντα, sed ὁ Ἐνδυμίων, ut bene monnit Heindorf, comparans ille Euthydem. p. 275 B. Nec profecto rara est repentina haec nominativi s. subiecti mutatio. vid. Gorg. p. 510 B. Theaet. p. 148 A. Xen. An. I. 4, 5. IV. 2, 20. Mem. II. 2, 14 al. Formulae οὐδαμοῦ φαίνεσθαι, nullo loco numerari, nihili putari, pro nihilo haberi, haec testimonia habeto. Gorg. p. 456 C οὐδαμοῦ ἂν φανῆναι τὸν λατρόν. Dem. De coron. p. 328 R. ἐν οἷς οὐδαμοῦ σὺ φανῆσει γερονδὸς, οὐ πρῶτος, οὐ δευτέρος, οὐ τρίτος, οὐ τέταρτος, οὐ πέμπτος, οὐχ ἕκτος, οὐχ ὀκτώστος. Id. De fals. leg. p. 376 οὐδαμοῦ γὰρ ἂν φανῆναι καθ' ἑαυτὸν ἐκείνον. Plura dabunt Wytttenbach. ad h. l. Bergler. ad Ar. Eccles. 144. — Denique de Endymione v. Cic. Tusc. I. 38 ibique Davis. Schol. Apollon. Rhod. IV. 57.

C. ταῦτόν ἐκείνω πεπονθέναι, καθεύδειν] Fallitur Dobraeus Advers. I. p. 151 καθ' εἰδὲν delendum putans. Prorsus

eodem modo p. 73 B, p. 74 A, p. 78 C.

ταχὺ ἂν τὸ τοῦ Ἀναξαγόρου γερονδὸς εἴη] Anaxagoras Clazomenius putavit omnes quondam res earumque elementa fuisse inter se confusa, sed deinde distincta et digesta a mente. De qua re librum scripserat, cuius hoc erat initium: ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν, νοῦς δὲ αὐτὰ διῆρε καὶ διεκόσμησε. Diog. Laert. II. 6 ibique Menag. Valcken. Diatr. in Eur. Fragm. p. 40. Schaubach. Anax. Clazom. Fragm. p. 65 sqq.

ἐκ μὲν τῶν ἄλλων] ex ceteris omnibus, quae non sunt viva.

D. καταναλωθῆναι εἰς τὸ τεθνάναι] h. e. morte assumi. Quoniam autem τίς μηχανὴ idem est quod οὐδεμία μηχανή, recte μὴ οὐ dicitur, quod solet ita post [negationem usurpari. v. infra p. 88 A B. Parmenid. p. 143 D. Prot. p. 344 C E. Xen. H. Gr. II. 3, 16. Herod. VIII. 100. Aesch. Prom. 627. Soph. Oed. Tyr. 283. 1065. Eur. Troad. 797. Deinde οὐδὲ μία noli dictum putare pro οὐδεμία; hoc enim simpliciter significat nulla, illud est ne una quidem, h. e. prorsus nulla. v. infra p. 100 C et ann. ad Symp. p. 214 D.

ἀληθῆ λέγειν. Ἔστι γὰρ, ἔφη, ὦ Κέβης, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, παντὸς μᾶλλον οὕτω, καὶ ἡμεῖς αὐτὰ ταῦτα οὐκ ἐξαπατάμενοι ὁμολογοῦμεν, ἀλλ' ἔστι τῷ ὄντι καὶ τὸ ἀναβιώσκεισθαι καὶ ἐκ τῶν τεθνεῶτων τοὺς ζῶντας γίνεσθαι καὶ τὰς τῶν τεθνεῶτων ψυχὰς εἶναι, [καὶ ταῖς μὲν γ' ἀγαθαῖς ἄμεινον εἶναι, ταῖς δὲ κακαῖς κάκιον]. E

Cap. XVIII. Καὶ μὲν, ἔφη ὁ Κέβης ὑπολαβών, καὶ καθ' ἐκείνόν γε τὸν λόγον, ὦ Σώκρατες, εἰ ἀληθῆς ἔστιν, ὃν σὺ εἰσθας θαυμά λέγειν, ὅτι ἡμῖν ἢ μάθησις οὐκ ἄλλο τι ἢ ἀνάμνησις τυγχάνει οὕσα, καὶ κατὰ τοῦτον ἀνάγκη που ἡμᾶς ἐν προτέρῳ τινὶ χρόνῳ μεμαθηκέναι ἢ νῦν ἀναμνησκόμεθα. τοῦτο δὲ ἀδύνατον, εἰ μὴ ἦν που ἡμῶν ἢ ψυχῆ, πρὶν ἐν τῷδε τῷ ἀνθρωπίνῳ 73 εἶδει γενέσθαι· ὥστε καὶ ταύτη ἀθάνατόν τι ἔοικεν ἢ ψυχῆ εἶναι. Ἄλλ', ὦ Κέβης, ἔφη ὁ Σιμμίας ὑπολαβών, ποῖαι τούτων αἱ ἀποδείξεις; ὑπόμνησόν με· οὐ γὰρ

D. αὐτὰ ταῦτα] Sic Bodl. Ven. II Tub. Vett. editt. τὰ αὐτά. τῷ ὄντι καὶ τ.] Sic Bodl. Vat. Tub. Ven. II Coisl. Vind. Φ Par. GH Flor. d. Legebatur olim καὶ τῷ ὄντι καὶ τ.

καὶ ταῖς μὲν γ' ἀγαθαῖς — κάκιον] Haec cum neque ex superiore argumentatione consequantur neque ad proxima transitum parent, molestissime hic inculcata sunt. Videntur igitur a sciolo aliquo praepostere huc translata esse ex iis, quae infra de futura animorum sorte ac fortuna disseruntur. γ' additum e Bodl. Tub. Vat. Ven. II Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. d.

E. κατὰ τοῦτον] V. τοῦτο, quod e Bodl. Tub. Vat. Ven. II Vind. Φ Ambr. Flor. d emendatum.

P. 73. ποῖαι τούτων] ποῖαι εἰσὶ τ. Steph., quod e lectione Ald. ποιῆσαι et Bas. 1 2 ποῖαι σοι τ. finxisse videtur. Nam quod Bekkerus narrat εἰσι in Bodl. exstare, Gaisf. ibi omitti liquido testatur.

καὶ τὸ ἀναβιώσκεισθαι] Articulum τὸ pertinere etiam ad seqq. γίνεσθαι et εἶναι, vix est quod moneamus. De comparativis ἄμεινον et κάκιον v. ad Criton. p. 54 B.

Cap. XVIII. E. Καὶ μὲν, ἔφη ὁ Κ. —] Cebes Soerati de iis, quae adhuc disputavit, prorsus assentiens aliam etiam affert rationem, qua illius sententia confirmari videatur. Quod enim ille docere solebat omnem scientiam esse recordationem et totum illud, quod discere homines vocare solerent, nil aliud esse nisi reminisci, id ei

videtur esse eiusmodi, quo luculenter demonstrari possit animum in hoc corpus attulisse rerum notitias ideoque viguisse, priusquam homo nasceretur. Unde, si vera sunt quae de mutua rerum contrariarum origine disputarunt, sponte consequitur animum esse immortalem. Et huius quidem rationis Socrates deinceps accuratorem instituit disputationem. De vita animorum superiore et ante vitam hanc terrestrem una cum diis peracta, unde idearum origo a Platone repetitur, v. Phaedr. p. 249 C sqq.

καὶ κατὰ τοῦτον ἄν.] Prop-ter longiorem orationis intercape-

σφόδρα ἐν τῷ παρόντι μέμνημαι. Ἐνὶ μὲν λόγῳ, ἔφη ὁ Κέβης, καλλίστῳ, ὅτι ἐρωτώμενοι οἱ ἄνθρωποι, εἴαν τις καλῶς ἐρωτᾷ, αὐτοὶ λέγουσι πάντα ἢ ἔχει· καίτοι εἰ μὴ ἐτύγχανεν αὐτοῖς ἐπιστήμη ἐνούσα καὶ ὀρθὸς λόγος, οὐκ ἂν οἴοι τ' ἦσαν τοῦτο ποιήσειν· ἔπειτα εἴαν τις ἐπὶ τὰ διαγράμματα ἄγῃ ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων, ἐνταῦθα σαφέστατα κατηγορεῖ, ὅτι τοῦτο οὕτως ἔχει. Εἰ δὲ μὴ ταύτη γέ, ἔφη, πείθει, ὦ Σιμμία, ὁ Σωκράτης, σκέψαι, εἴαν τῆδέ πῃ σοι σκοπούμενῳ συνδόξῃ. ἀπιστεῖς γὰρ δὴ, πῶς ἢ καλουμένη μάθησις ἀνάμνησις ἐστίν; Ἀπιστῶ μὲν ἔγωγε, ἢ δ' ὅς ὁ Σιμμίας, οὐ, αὐτὸ δὲ τοῦτο, ἔφη, δέομαι παθεῖν, περὶ οὗ ὁ λόγος, ἀναμνησθῆναι· καὶ σχεδὸν γε ἐξ ὧν Κέβης ἐπεχείρησε λέγειν ἤδη μέμνημαι καὶ

τοῦτο ποιήσειν] Hoc nunc e Bodl. Tub. Ven. II restitui. Legatur ποιεῖν. v. ann.

B. δέομαι παθεῖν] Libri μαθεῖν. v. ann. Schleiermacherus παθεῖν s. μαθεῖν delendum censet, in quo viro docto non possumus assentiri. Δέομαι ita positum tetigit Schaefer. ad Plutarch. T. V. p. 420.

dinem iteratur quod paullo ante dixerat: καὶ κατ' ἐκείνόν γε τὸν λόγον, ut Menex. p. 237 D et alibi. Itaque male vulgo τοῦτο scribebatur.

P. 73. ὅτι ἐρωτώμενοι οἱ ἄνθρωποι —] Res nota est ex Menone p. 81 B sqq. Cic. Tuscul. I. 24, ad quem locum Davisius recensuit patres ecclesiasticos, qui hanc Platonis sententiam refutare studuerunt.

οἴοι τ' ἦσαν — ποιήσειν] Infinitivum futuri post οἴοι τ' ἦσαν ne mireris, v. ann. ad Remp. V. p. 459 C et Lobeck. ad Phryg. p. 748.

ἔπειτα εἴαν τις —] In his ἔπειτα pro ἔπειτα δέ positum, ut fit post πρῶτον μὲν p. 89 A, ubi v. ann. Nimirum Ἐνὶ μὲν λόγῳ est i. q. primum quidem una eaque pulcherrima ratione, quod liquet recte ita dici potuisse, praesertim cum etiam alibi εἴτα et ἔπειτα non praegresso πρῶτον μὲν usurpari soleant, ut infra p. 86 E. Xen. Mem. IV. 5, 3. al. De ἐνὶ λόγῳ v. p. 111 A. Hoc ergo dicit: primum res breviter ratione declarari potest, dein-

de etiam res ipsa atque experientia clarissime indicat ita esse. Noli igitur probare coniecturam Heindorfii, quasuscepta praegressum μὲν ἰδονα ratione cariturum esset. Ceterum respexit Plato manifesto locum Menonis celeberrimum p. 81 sqq.

B. κατηγορεῖ] res ipsa indicat, prodit. Herod. III. 115 ὁ Ἡοιδανὸς αὐτὸ κατηγορεῖ τὸ ὄνομα ὡς ἐστὶν Ἑλληνικόν. De hoc usu tertiae personae ad p. 93 B. Διαγράμματα sunt figurae geometricae, ut Menon. l. c., quas Cicero descriptiones vocavit.

ἀπιστεῖς γὰρ δὴ, πῶς ἢ καλ.] h. e. dubitas enim, quo modo etc. Habet enim ἀπιστεῖν adiunctam dubitationis notionem.

δέομαι παθεῖν — ἀναμνησθῆναι] Quamquam codices omnes tuentur, quod in vett. editt. scriptum exstat, μαθεῖν, tamen dubium non est, quin cum Serrano παθεῖν legendum sit. Sententia haec est: sed hoc ipsum, de quo sermo est (h. e. τὴν ἀνάμνησιν), cupio experiri, hoc est commonefieri a vobis,

πείθομαι· οὐδὲν μὲντ' ἂν ἦττον ἀκούοιμι νῦν, σὺ πῆ ἐπεχείρησας λέγειν. Τῆδε ἔγωγε, ἢ δ' ὅς. ὁμολογοῦμεν γὰρ δήπου, εἰ τίς τι ἀναμνησθήσεται, δεῖν αὐτὸν τοῦτο πρότερόν ποτε ἐπίστασθαι. Πάνυ γε, ἔφη. Ἄρ' οὖν καὶ τόδε ὁμολογοῦμεν, ὅταν ἐπιστήμη παραγίγνηται τρόπῳ τοιούτῳ, ἀνάμνησιν εἶναι; λέγω δὲ τίνα τρόπον; τόνδε· εἴαν τίς τι πρότερον ἢ ἰδῶν ἢ ἀκούσας ἢ τίνα ἄλλην αἰσθησιν λαβῶν μὴ μόνον ἐκεῖνο γνῶ, ἀλλὰ καὶ

μὲντ' ἂν] Sic Vat. Vind. Φ 14. Par. GL Ambr. Flor. b d m et rec. em. Bodl. Coisl. Ven. II. Vett. editt. μὲν ἂν.

σὺ πῆ] Sic Vat. Vind. Φ Par. G et corr. Bodl. Vulgo πῆ σὺ.

C. λέγω δὲ τίνα τρόπον] Vulgo: λέγω δὲ τίνα τρόπον τοῦτον· εἴαν τις κ. τ. λ. Bodl. Tub. Vat. Par. AE Ambr. Aug. Zitt. alii τίνα, quod restitui. Praeterea τόνδε dedi e Bodl. Tub. Ven. II emendata etiam interpunctione. Utrumque nuper etiam Herm. probavit. Turr. tamen veteri errore servato: λέγω δὲ τίνα τρόπον τόνδε.

πρότερον ἢ ἰδῶν] Sic Bodl. Vat. Tub. Ven. II Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. a d et supra versum Par. C in marg. Flor. i. Editt. omnes ἔτε-

πῶς ἢ καλουμένη μάθησις ἀνάμνησις ἐστίν. Ludit igitur in verbi ἀναμνησθῆναι ambiguitate. De infinitivo ἀναμνησθῆναι per exegesis adiecto v. supra p. 72 C, mox p. 74 A τοῦτο προπάσχειν, ἐννοεῖν. Gorg. p. 469 C.

ποιῳ τινὶ οὐ] V. οὐ in omnibus libris deest; de coniectura restituit Heindorfius probante Bekkero et Schleiermachers. Mox Bodl. Tub. Ven. II ἢ ψυχὴ ἐστὶ probante Hermanno. Nimirum articulam addidit criticus immemor eorum, quae de eius omissione apud hoc nomen exposuimus ad Phaedon, p. 83 C al.

C. πάσχειν ταῦτα] V. τὰ αὐτά, quod correctum e Bodl. Vat. Tub. Vind. Φ Ambr. et rec. Par. G.

91 C. Nam ἡμᾶς nunc pro accusativo subiecti accipiendum, qui ad ἀνερέσθαι pertinet.

τῷ ποίῳ τινὶ ἄρα πρ.] h. e. ποῖον ἄρα ἐστὶν ἐκείνο, ὡ πρ. v. Hermann. ad Viger. p. 705.

καὶ τῷ ποίῳ τινὶ οὐ] Adiecimus οὐ, quo tollitur inepta ταυτολογία, qua vulgata lectio premittitur. Confirmat autem hanc rationem proximum πότερον, quod semper ad duo refertur, nusquam de uno dictum reperitur. Et continetur responsio ad hanc alteram interrogationem his verbis: εἰ δέ τι τυγχάνει ὄν ἀξύνθετον. Male igitur Cornarius et Wyttenbachius καὶ τῷ ποίῳ τινὶ delendum iudicaverunt. Ceterum πότερον ψυχὴ ἐστὶν interpretaberis: utrum de duobus illis animus sit, i. e. ad utrum genus pertineat. C. Fr. Hermann. l. c. p. 75 requirit ποτέρων, quo vix opus fuerit. Quamquam non inutile erit contulisse De Rep. V. p. 453 A ἀμφισβητήσαι, πότερον δυνατὴ φύσις ἢ ἀνθρώ-

πίνη ἢ θήλεια τῇ τοῦ ἀρρέενου γένους κοινωθῆσαι εἰς ἅπαντα — ἢ εἰς τὰ μὲν οὐα τε, εἰς δὲ τὰ οὐ, καὶ τοῦτο δὴ τὸ περὶ τὸν πόλεμον ποτέρων ἐστίν; Ibid. VII. p. 524 D, ubi tamen πότερον Par. A.

τῷ μὲν ξυντεθέντι — ξυντεθέν] εἰ quod aliquando compositum est et natura sua ut compositum constat.

C. τοῦτο πάσχειν, διαιρεθῆναι] De hoc infinitivo epegegesos causa adiecto vide ad p. 64 C. p. 70 C.

τὰ δὲ ἄλλοτ' ἄλλως —] Intell. ἔχοντα. Heindorfius scribi volebat ἂ δ' ἄλλοτ' ἄλλως. Mox post ταῦτα iteratur δέ usu frequentissimo. Infra p. 81 B τὸ δὲ τοῖς ὁμοίαισι σκοτιῶδες — τοῦτο δὲ εἰθισμένη μισεῖν. Legg. X. p. 894 C, ubi male vulgo τὴν τε ἐαντήν κ. τ. λ. Phaedr. p. 272 A. Hipp. min. p. 364 E. Lach. p. 194 D. Charm. p. 173 D. Alc. I. p. 109 A περὶ δὲ οὐ προσπαεῖ ἐπιστήμων εἶναι, τούτου δὲ, ὡς ἔοικας, περὶ ἐρω-

θετα; Ἐμοιγε δοκεῖ οὕτως. Ἴωμεν δὲ, ἔφη, ἐπὶ ταῦτα, ἐφ' ἅπερ ἐν τῷ ἔμπροσθεν λόγῳ. αὐτὴ ἢ οὐσία, ἢ λόγον δίδομεν τοῦ εἶναι καὶ ἐρωτῶντες καὶ ἀποκρινόμενοι, πότερον ὡσαύτως αἰεὶ ἔχει κατὰ ταῦτα, ἢ ἄλλοτ' ἄλλως; αὐτὸ τὸ ἴσον, αὐτὸ τὸ καλόν, αὐτὸ ἕκαστον ὅ ἐστι, τὸ ὄν, μὴ ποτε μεταβολὴν καὶ ἠντινοῦν ἐνδέχεται; ἢ αἰεὶ αὐτῶν ἕκαστον ὅ ἐστι, μονοειδὲς ὄν αὐτὸ καθ' αὐτό, ὡσαύτως κατὰ ταῦτα ἔχει καὶ οὐδέποτε οὐδα-

εἶναι τὰ ξύνθετα] Istud εἶναι om. pr. Bodl. Ven. II male. Dein τὰ om. Coisl. Vat. alii et a pr. m. Bodl. Ven. II. Tum Heindorf. Bekker. et Tur. scripserunt ἐπὶ ταῦτα, ἐφ' ἅπερ, quod non opus, cum etiam sic scribi poterit: Ἴωμεν ἐφ' ἅπερ ἐν τῷ ἔμπρ.

D. κατὰ ταῦτα] καὶ κατὰ τ. Aug., quod recepit Bekker. ὡσαύτως κατὰ ταῦτα ἔχει] Hic cum Steph. καὶ ante κατὰ interpositum unus Par. L metur. Igitur deleui. Cum enim ὡσαύτως κατὰ ταῦτα ἔχειν pariter usitatam sit atque ὡσαύτως καὶ κατὰ ταῦτα ἔχειν, tamen a scribis saepenumero καὶ intrusum videtur.

τηθεῖς, εἰ μὴ ἔχῃς εἰπεῖν, οὐκ αἰσχύνει; ubi Buttmanus: „In oratione bimembri, inquit, cuius priori parti posterior est opposita, quoties haec et ipsa in protasin et apodosin distincta est, vocula δέ, ad pondus oppositionis augendam, in apodosi post demonstrativum repeti potest.“ Sed vide quae vir praeclarus de toto hoc loquendi genere disputavit Excurs. XII ad Dem. Midian. p. 147 sqq. coll. Heindorf. ad Protag. p. 313 A. et Werfer. Act. Philol. Mon. I. l. p. 98 sqq.

Ἴωμεν δὲ — ἐφ' ἅπερ] Locutionem ad p. 91 C illustrabimus.

D. ἢ λόγον δίδομεν τοῦ εἶναι] h. e. οἷς ἐπισφραγίζομεθα τοῦτο, ὅ ἐστι, ut loquebatur p. 75 D, essentia illa, cuius hanc reddimus rationem, ut dicamus illam esse revera; die Wesenheit, von welcher wir die Erklärung des Seins geben, i. e. die wir begrifflich als das Sein erklären. Poterat etiam scribi: περὶ ἢ λόγον δίδομεν τοῦ εἶναι. Unde sponte apparet, duplicis genetivi quaenam causa et ratio sit, quam fuit nuper qui parum perspiceret. De verbis καὶ ἐρωτῶντες καὶ ἀποκρινόμενοι v. ad p. 75 D.

αὐτὸ ἕκαστον, ὅ ἐστι, τὸ ὄν] De hac orationis ubertate dictum est supra, ad p. 75 B. Paullo ante scriptum erat vulgo ὡσαύτως αἰεὶ ἔχει καὶ κατὰ ταῦτα, quod ex codd. mutavimus. Utrumque autem dici recte potest et ὡσαύτως αἰεὶ καὶ κατὰ ταῦτα ἔχειν et ὡσαύτως αἰεὶ κατὰ ταῦτα ἔχειν, id quod exemplis docuerunt Fischerus ad Phaedon, p. 327. Heindorf. ad h. l.

μονοειδὲς ὄν] Dicitur μονοειδὲς, quod est sibi par et sui simile, quod nihil in se habet admixtum dispar sui neque dissimile. Cic. Cat. M. 21. Unde p. 80 B ei iungitur τὸ ἀδιάλυτον et opponitur τὸ πολυειδὲς καὶ διαλυτόν. Mox ne quis καὶ οὐδέποτε οὐδαμοῦ οὐδαμῶς legendum putet, haud sane infrequens est μηδαμῆ μηδαμῶς et πάντῃ πάντως, quod eodem modo usurpatur, quo nostram: auf jede Art und Weise, auf keine Art und Weise. Legg. XII. p. 951 C οὐ πρόπον ἐν εὐνόμῳ πόλει γίνεσθαι τοιοῦτον οὐδὲν οὐδαμῆ οὐδαμῶς. Phileb. p. 65 E οὐδαμῆ οὐδαμῶς. Timae. p. 50 C ὁμοίαν οὐδαμῶς. Phileb. p. 60 C πάντῃ καὶ πάντως, ubi v. ann. Infra p. 100 D ὄπη καὶ ὄπως.

μη οὐδαμῶς ἀλλοίωσιν οὐδεμίαν ἐνδέχεται; Ὡσαύτως, ἔφη, ἀνάγκη, ὁ Κέβης, κατὰ ταῦτα ἔχειν, ὡς Σώκρατες. Τί δὲ τῶν πολλῶν [καλῶν], οἷον ἀνθρώπων ἢ ἵππων ἢ ἑλιματίων ἢ ἄλλων ἀντιφωνοῦν τοιούτων ἢ ἴσων ἢ καλῶν ἢ πάντων τῶν ἐκείνοις ὁμωνύμων; Ἄρα κατὰ ταῦτα ἔχει, ἢ πᾶν τοῦναντίον ἐκείνοις οὔτε αὐτὰ αὐτοῖς οὔτε ἀλλήλοις οὐδέποτε, ὡς ἔπος εἰπεῖν, οὐδαμῶς κατὰ ταῦτα

ὁ Κέβης, κατὰ τ.] καὶ κατὰ Steph. cum Ven. E.

E. ἢ ἴσων ἢ καλῶν] Prius ἢ ex Bodl. Vat. Tub. Ven. E II Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. d i Zitt. additum.

ἐκείνοις οὔτε] Vat. Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. d ἐκείνοις καὶ οὔτε. In Bodl. καὶ superscriptum. Addita vocula ab iis est, qui πᾶν τοῦναντίον adverbii munus sustinere non intellexerunt.

Τί δὲ τῶν πολλῶν καλῶν] Hunc genetivi usum exemplis illustravit Heindorf. ad Gorg. p. 509 D. De Rep. V. p. 470 A τί δὲ γῆς τε τμήσεως τῆς Ἑλληνικῆς καὶ οἰκιστῶν ἐμπρησεως; Ibid. VII. p. 515 B τί δὲ τῶν παραφερομένων; cf. Matthiae §. 342. Itaque non est quod cum Stephano scribendum conicias: τί δὲ περὶ τῶν κ. κ. Sed totum locum nuper in malam suspicionem vocavit Hirschig., qui ista: ἢ ἴσων ἢ καλῶν — ἐκείνοις ὁμωνύμων intolerabilia plane iudicavit esse, quia post ἢ ἄλλων ἀντιφωνοῦν τοιούτων insuper addi nihil potuerit et post τῶν πολλῶν καλῶν repetitum ἢ καλῶν nullo pacto ferri queat. Nimirum bonus criticus non vidit verba ἢ ἴσων — ὁμωνύμων pertinere ad ἀνθρώπων ἢ ἵππων — τοιούτων, quo perspecto certe nemo paullo consideratior in his haerebit. Est enim sententia verborum haec: Quid vero de multis pulcris (h. e. de rebus pulcris sensibus subiectis), veluti de hominibus vel equis vel palliis vel aliis quibusvis talibus, quae vel aequalia vel pulcra vel omnibus denique nominibus, quae illis (rebus per se constantibus et absolutis s. ideis) item sint communia, appellantur? In qua sententia profecto nihil est quod quem iure offendat praeter unum quiddam, quod tamen Hirschigium praeteriit.

Etenim ideis antea universe adumbratis non continuo τὰ πολλὰ καλὰ opponenda fuerunt, sed potius generatim τὰ πολλὰ, ita ut deinceps demum exemplis declararetur, quarumnam ea qualitatū fieri possent participes, quemadmodum antea factum est etiam ipsis ideis: αὐτὸ τὸ ἴσον, αὐτὸ τὸ καλόν, κ. τ. λ. Itaque hoc luce clarius est post τῶν πολλῶν eliminandum esse istud καλῶν, quod verissime nuper eiciendum censuit Io. Classen in Progr. Francofurtens. a. 1859, quod symbolas criticas ad Thueydidem maxime continet doctissimas p. 15. Quocirca nos quidem vocabulum importune intrusum non dubitavimus uncis secludere, quamquam prorsus exturbare illud nolimus. — Ceterum nec in proximis scripserim: κατὰ ταῦτα. Ἔστιν οὕτως αὐτὸ κ. τ. λ. Utrumque enim recte dicitur, et κατὰ ταῦτα ἔχει et κατὰ ταῦτα ἔστιν, ut alterum cum altero utique permutari potuerit. Accedit, quod in altero hoc orationis membro propter oppositionis gravitatem verbum finitum necessitate quadam requiritur.

E. πᾶν τοῦναντίον ἐκείνοις] h. e. ganz im Gegentheil von jenen. Nam hic quoque τοῦναντίον pro adverbio positum est.

ὡς ἔπος εἰπεῖν] propemodum dixerim, paene. Pertinet formula ad negationem οὐδέποτε

ἔστιν; Οὕτως αὐτὸ, ἔφη, ταῦτα, ὁ Κέβης· οὐδέποτε ὡς αὐτῶς ἔχει. Οὐκοῦν τούτων μὲν κἂν ἄψαιο, κἂν ἴδοις, 79 κἂν ταῖς ἄλλαις αἰσθήσεσιν αἰσθητοῖο, τῶν δὲ κατὰ ταῦτα ἐχόντων οὐκ ἔστιν ὅτι ποτ' ἐν ἄλλῳ ἐπιλάβοιο ἢ τῷ τῆς διανοίας λογισμῷ, ἀλλ' ἔστιν ἀειδῆ τὰ τοιαῦτα καὶ οὐχ ὁράται;

Cap. XXVI. Παντάπασι, ἔφη, ἀληθῆ λέγεις. Θῶμεν οὖν βούλει, ἔφη, δύο εἶδη τῶν ὄντων, τὸ μὲν ὁρατόν, τὸ δὲ ἀειδές; Θῶμεν, ἔφη. Καὶ τὸ μὲν ἀειδές ἀεὶ κατὰ ταῦτα ἔχον, τὸ δὲ ὁρατόν μηδέποτε κατὰ ταῦτα; Καὶ τοῦτο, ἔφη, θῶμεν. Φέρε δὴ, ἢ δ' ὅς, ἄλλο τι ἡμῶν

Οὕτως αὐτὸ, ἔφη, ταῦτα, ὁ Κ.] ταῦτα om. Ven. II et pr. Bodl., qui etiam αὐτὸ ignorant. Eandem plane utrobique scripturam habet Tubing. P. 79. καὶ οὐχ ὁράται] ὁρατά unus Bodl., quod ediderunt Tur. et Herm.

Cap. XXVI. Θῶμεν οὖν βούλει] Editt. Θῶμεν οὖν βούλει. Id unice aptum. v. Matth. Gr. 516. 3. Sed εἰ βούλει corr. Bodl. Vat. Aug. Vind. Φ Par. AG Ambr. Flor. d m.

οὐδαμῶς. v. ad p. 66 A. Hipp. mai. p. 285 C.

Οὕτως αὐτὸ, ἔφη, ταῦτα, ὁ Κέβης· οὐδέποτε ὡς αὐτῶς ἔχει] Vulgo post Κέβης commate distinctum erat. Male. Nam verba οὐδέποτε ὡς αὐτῶς ἔχει addita sunt ἐπεξηγήσεως χάριν, ut ad priora illa intellegendum sit ἔχει. Heindorfius malebat: οὕτως αὐτὸ, ἔφη ὁ Κέβης· ταῦτα οὐδέποτε ὡς αὐτῶς ἔχει, quo non opus est.

P. 79. οὐκ ἔστιν ὅτι — λογισμῷ] h. e. non nisi ratiocinatione mentis et cogitationis attingere licet.

Cap. XXVI. ἄλλο τι ἡμῶν αὐτῶν τὸ μὲν σῶμά ἐστι —] Postquam docuit duo esse genera rerum, alterum ex partibus compositum, quod continuo mutationum turbine agitetur nec unquam eodem in statu maneat, simplex alterum, quod propter simplicitatem suam nullis subiectum sit mutationibus suumque statum semper obtineat, accedit ad quaestionem de duabus naturis, ex quibus homo constat, animo et corpore. Et corpus quidem demonstrat pertinere ad genus

rerum compositarum, animum autem docet habere eas virtutes omnes, quas in simplicium rerum naturam convenire antea disputaverat. Ceterum vulgo post ἡμῶν αὐτῶν insertum legebatur ἢ ab aliis post ἄλλο τι interpositum invitis eodd. fere omnibus etiam Eusebii et Theodoretii. Quod noli in tanta codicum voculam omittentium consensione comprobare, sicuti nuper H. Schmidt. fecit, qui ἢ necessarium esse ratus propterea, quod οὐδὲν ἄλλο ad praegressum ἄλλο τι referatur, verba sic interpretatur: ist etwas Anderes an uns selbst als eines Theils der Leib und andern Theils die Seele? Quod vereor ut recte fecerit, siquidem ἡμῶν αὐτῶν potius ex τὸ μὲν σῶμα, τὸ δὲ ψυχή pendet. Rectius dudum indicavit Matthiae §. 487. 9, qui οὐδὲν ἄλλο censuit subiungi, quia ἄλλο τι proprie dicatur elliptice, ita ut h. l. ἔστιν intellegi queat. Sententia vero vel sic haec est: Age igitur, nonne nostri ipsorum alia pars corpus, alia animus est? De ἄλλο τι v. ad Euthyphr. p. 15 C. Hermann. ad Viger. p. 731.

αὐτῶν τὸ μὲν σῶμά ἐστι, τὸ δὲ ψυχὴ; Οὐδὲν ἄλλο, ἔφη.
 B Ποτέρῳ οὖν ὁμοιότερον τῷ εἶδει φαίμεν ἂν εἶναι καὶ
 ξυγγενέστερον τὸ σῶμα; Παντί, ἔφη, τοῦτό γε δῆλον,
 ὅτι τῷ ὁρατῷ. Τί δὲ ἡ ψυχὴ; ὁρατὸν ἢ ἀειδές; Οὐχ
 ὑπ' ἀνθρώπων γε, ὡς Σώκρατες, ἔφη. Ἀλλὰ μὴν ἡμεῖς
 γε τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ μὴ τῆ τῶν ἀνθρώπων φύσει λέγο-
 μεν. ἢ ἄλλη τι οἶσι; Τῆ τῶν ἀνθρώπων. Τί οὖν
 περὶ ψυχῆς λέγομεν; ὁρατὸν εἶναι, ἢ οὐχ ὁρατὸν; Οὐχ
 ὁρατὸν. Αἰιδές ἄρα; Ναί. Ὁμοιότερον ἄρα ψυχὴ σῶ-
 ματός ἐστι τῷ ἀειδεῖ, τὸ δὲ τῷ ὁρατῷ. Πᾶσα ἀνάγκη,
 ὡς Σώκρατες.

Cap. XXVII. Οὐκοῦν καὶ τότε πάλαι ἐλέγομεν, ὅτι
 ἡ ψυχὴ, ὅταν μὲν τῷ σώματι προσχωρῆται εἰς τὸ σκοπεῖν
 τι ἢ διὰ τοῦ ὁρᾶν ἢ διὰ τοῦ ἀκούειν ἢ δι' ἄλλης τινὸς
 αἰσθήσεως — τοῦτο γὰρ ἐστὶ τὸ διὰ τοῦ σώματος, τὸ

αὐτῶν τὸ μὲν] V. αὐτῶν ἢ τὸ μὲν. Sed recte ἢ om. Bodl. pr.
 Par. G et Vat. Ven. AII Vind. T Par. ACHIL Ambr. Flor. a m alii. In
 aliis quibusdam libris ἢ post ἄλλο τι interpositum est.

B. φαίμεν ἂν] V. φαίμεν ἂν, quod e Bodl. Ven. II Tub. Vind. Φ
 Par. C Ambr. emendatum. [φαίμεν Turneb., Steph.]

Ἀλλὰ μὴν ἡμεῖς] μὴν om. Bodl. Ven. II pr. Par. G Tub. Abiecit
 μὴν Herm., quod nobis ob proximam syllabam videtur excidisse.

φύσει λέγομεν] V. ἐλέγομεν, quod e Bodl. Ven. II Tub. correxi.
 Vulgatum tenuit Bekker. iuxta cum Turicenss. Verum nobiscum amplexus
 est Herm.

Cap. XXVII. C. πάλαι ἐλέγομεν] Libri omnes ἐλέγομεν, quod
 Heindorfius, Bekkerus ac Turic. praeter necessitatem in λέγομεν mutarunt,
 ut apud Theodoretum et Eusebium in libris quibusdam scriptum est. v.
 explicatt.

B. Τί δὲ ἡ ψυχὴ] scil. σοι φαί-
 νεται vel ἐστίν;

Οὐχ ὑπ' ἀνθρώπων γε] in-
 tell. ὁραταί (ὁρατὸν ἐστίν).

Ἀλλὰ μὴν ἡμεῖς γε τὰ ὁρα-
 τὰ — λέγομεν] Atqui nos qui-
 dem loquimur de iis, quae ab
 hominibus percipi sensibus
 aut non percipi possunt, ne-
 que enim nunc de iis rebus dispu-
 tamus, quae ab humana natura ab-
 horrent aut nihil ad eam pertinent.
 Etenim λέγειν τὰ ὁρατὰ idem est
 fere quod λέγειν περὶ τῶν ὁρα-
 τῶν. v. ad Apolog. p. 23 A. — τῆ
 τῶν ἀνθρώπων φύσει dicitur est
 pro τοῖς ἀνθρώποις. v. ad Phaedr.

248 C. Quamquam cavendum, ne
 φύσις in talibus otiose poni existi-
 metur. De dativo conf. Matthiae
 Gr. §. 387. Veluti h. l. sic dicitur,
 quia sententia haec est: quae ab
 hominibus pro naturae suae
 indole conspici possunt. —
 τὸ ἀειδές, quod caret forma et
 specie.

Cap. XXVII. C. πάλαι ἐλέ-
 γομεν] Respicitur ad p. 64—68,
 unde imperfecti ratio repetenda, de
 qua v. supra p. 72 A, ad Remp. VI.
 p. 490 A. Πάλαι ita cum imper-
 fecto iunctum Soph. Oed. Col. 966.
 Cf. Plat. Lachet. p. 178 B.

δι' αἰσθήσεων σκοπεῖν τι —, τότε μὲν ἔλκεται ὑπὸ τοῦ
 σώματος εἰς τὰ οὐδέποτε κατὰ ταῦτα ἔχοντα, καὶ αὐτὴ
 πλανᾶται καὶ ταράττεται καὶ ἰλιγγιᾷ ὥσπερ μεθύουσα,
 ἄτε τοιούτων ἐφαπτομένη; Πάνυ γε. Ὅταν δέ γε αὐτὴ
 καθ' αὐτὴν σκοπῆ, ἐκείσε οἴχεται, εἰς τὸ καθαρὸν τε καὶ D
 αἰεὶ ὄν καὶ ἀθάνατον καὶ ὡσαύτως ἔχον, καὶ ὡς συγγε-
 νῆς οὕσα αὐτοῦ αἰεὶ μετ' ἐκείνου τε γίνεταί, ὅταν περ
 αὐτὴ καθ' αὐτὴν γένηται καὶ ἐξῆ αὐτῆ, καὶ πέπανταί
 τε τοῦ πλάνου καὶ περὶ ἐκεῖνα αἰεὶ κατὰ ταῦτα ὡσαύτως
 ἔχει, ἄτε τοιούτων ἐφαπτομένη; καὶ τοῦτο αὐτῆς τὸ
 πάθημα φρόνησις κέκληται; Παντάπασιν, ἔφη, καλῶς
 καὶ ἀληθῆ λέγεις, ὡς Σώκρατες. Ποτέρῳ οὖν αὖ σοι
 δοκεῖ τῷ εἶδει καὶ ἐκ τῶν ἔμπροσθεν καὶ ἐκ τῶν νῦν

δι' αἰσθήσεων σκ.] Sic Ven. II Tub. et pr. Bodl. Vulgo est
 αἰσθήσεως.

D. ἀληθῆ λέγεις] Vat. Ven. II Par. GI Ambr. ἀληθῶς. Noli pro-
 bare. v. ann.

ἐκ τῶν ἔμπροσθεν] V. πρόσθεν. Illud cum Bekkero e Bodl. Tub.
 et Ven. II recepi.

τότε μὲν ἔλκεται —] Animus
 invitatus trahitur et abducitur ad res
 corporeas et sensibus subiectas. Ea
 enim est verbi ἔλκεσθαι propria
 vis et significatio. Deinde pronomen
 αὐτῆ infertur propterea, quod τῶν
 τοιούτων, videl. τῶν πλανωμένων
 καὶ ταραττομένων, mentio dein-
 ceptus iniicitur.

ἰλιγγιᾷ] vertigine correptus
 rotatur et circumagitur.
 Verbum elegantī metaphora dicitur
 de iis, qui prae iudicii et consilii
 inopia nesciunt, quid agant et quo
 se vertant. Omnem eius vim et
 usum erudite persecuti sunt Pier-
 son. ad Moer. p. 106 et seq. et
 Lennep. ad Phalar. p. 35—38.

D. καὶ περὶ ἐκεῖνα αἰεὶ κατὰ
 τ. ὁ.] Animus circa illa, h. e. ubi
 s. quamdiu cum illis, quae per se
 absoluta sunt, tamquam conver-
 satur, non amplius ταράττεται καὶ
 ἰλιγγιᾷ, sicuti fit, ubi a corpore
 abstrahitur ad τὰ οὐδέποτε κατὰ
 ταῦτα ἔχοντα. Itaque non assen-
 tiantur. Nec vero opus esse puto

coniectura H. Schmidtii, Krit.
 Comment. I. p. 81, qui facta verbo-
 rum transpositione legendum cen-
 set: καὶ πέπανταί τε τοῦ πλάνου
 περὶ ἐκεῖνα καὶ αἰεὶ κατὰ τ. Quod
 certe a mente Platonis aliquantum
 abhorret, qui animum arbitratur
 πεπαῦσθαι τοῦ πλάνου non circa
 res sempiternas, sed quia abstractus
 est ad res corporeas et inconstan-
 tes. Etenim istud πέπανταί τοῦ
 πλάνου respondet superiori illi:
 καὶ αὐτὴ πλανᾶται, alterum au-
 tem hoc: καὶ περὶ ἐκεῖνα αἰεὶ —
 ὡσαύτως ἔχει oppositum est ante-
 gressis: καὶ ταράττεται καὶ ἰλιγ-
 γιᾷ κ. τ. λ. Cum vi autem inter-
 ponitur περὶ ἐκεῖνα, quandoqui-
 dem ita fit tantum illorum habita-
 ratione.

καλῶς καὶ ἀληθῆ] Phaedr.
 p. 234 E σαφῆ — καὶ ἀκριβῆς.
 Protag. p. 352 D καλῶς γε σὺ λέ-
 γων καὶ ἀληθῆ. Ion. p. 538 E ὡς
 ὁαδίως τε καὶ ἀληθῆ ἐγὼ σοι
 ἀποκρινοῦμαι. Opportune Fi-
 scherus comparavit Ter. Adelph.
 IV. 3, 18 et recte et verum dicitis.

Ε λεγομένων ψυχή ὁμοιότερον εἶναι καὶ ξυγγενέστερον; Πᾶς ἂν μοι δοκεῖ, ἢ δ' ὅς, ξυγχορῆσαι, ὡς Σώκρατες, ἐκ ταύτης τῆς μεθόδου, καὶ ὁ δυσμαθέστατος, ὅτι ὅλω καὶ παντὶ ὁμοιότερόν ἐστι ψυχή τῷ αἰεὶ ὡσαύτως ἔχοντι μᾶλλον ἢ τῷ μή. Τί δὲ τὸ σῶμα; Τῷ ἑτέρῳ.

80 Cap. XXVIII. Ὅρα δὲ καὶ τῆδε, ὅτι, ἐπειδὴν ἐν τῷ αὐτῷ ὡς ψυχή καὶ σῶμα, τῷ μὲν δουλεύειν καὶ ἄρχεσθαι ἢ φύσις προστάττει, τῆ δὲ ἄρχειν καὶ δεσπόζειν καὶ κατὰ ταῦτα αὐτὸν πότερόν σοι δοκεῖ ὁμοιον τῷ θείῳ εἶναι, καὶ πότερον τῷ θνητῷ; ἢ οὐ δοκεῖ σοι τὸ μὲν θείον οἶον ἄρχειν τε καὶ ἡγεμονεύειν πεφυκέναι, τὸ δὲ θνητὸν ἄρχεσθαι τε καὶ δουλεύειν; Ἐμοιγε. Ποτέρῳ οὖν ἡ ψυχή ἔοικεν; Ἀἴα δὴ, ὡς Σώκρατες, ὅτι ἡ μὲν ψυχή τῷ θείῳ, τὸ δὲ σῶμα τῷ θνητῷ. Σκόπει δὴ, ἔφη, ὡς Κέβης, εἰ ἐκ πάντων τῶν εἰρημένων τάδε ἡμῖν ξυμβαίνει, τῷ μὲν θείῳ καὶ ἀθανάτῳ καὶ νοητῷ καὶ μονοειδεῖ καὶ ἀδιαλύτῳ καὶ αἰεὶ ὡσαύτως κατὰ ταῦτα ἔχοντι ἑαυτῷ ὁμοιότατον εἶναι ψυχή, τῷ δ' ἀνθρωπίνῳ καὶ

E. ξυγχορῆσαι] Olim scribatur συγχορῆσαι modo optandi. Correctum ex codd. Praeterea ex Bodl. pr. itemque Tub. et Ven. II ἂν μοι δοκεῖ pro vulg. ἂν ἔμοιγε δοκεῖ reposuimus.

Cap. XXVIII. Ὅρα δέ] V. δὴ, quod e Vat. Vind. Φ Par. G Ambr. aliis correctum. Etiam Stob. δέ habet. Mox Bodl. pr. et Ven. II κατ' αὐτά pro κατὰ ταῦτα.

P. 80. B. ὡσαύτως κατὰ ταῦτα] Hic quoque καὶ vulgo ante κατὰ interpositum auctoritate Bodl. Tub. Ven. II Vind. Φ Par. G Flor. d extrusimus. Tenuit tamen Bekker.

E. ὅτι ὅλω καὶ παντὶ ὁμ.] h. e. prorsus, omnino. Scholiasta Ruhnken. p. 165 τὸ οὖν πάντῃ διαφέρειν τινός, ἅτε δὴ καὶ καθ' ὅλον καὶ κατὰ μέρος τοῦδε πᾶν διενεγκόν, ὅλω καὶ παντὶ λέγεται διαφέρειν. v. De Rep. VII. p. 527 C ὅτι τῷ ὅλω καὶ παντὶ διοίσει. Ibid. V. p. 469 C ὅλω καὶ παντὶ, ἔφη, διαφέρει τὸ φείδεσθαι. Ibid. VI. p. 486 A. Alcib. I. p. 109 B διαφέρει ὅλον τε καὶ πᾶν. Deinde μᾶλλον post comparativum non redundare, sed ut eius vis denuo ingeratur positum esse ad Hipp. mai. p. 285 A et Gorg. p. 487 B ostendimus.

Cap. XXVIII. P. 80. ἄρχειν τε καὶ ἡγεμονεύειν πεφυκέναι] h. e. natura ita comparatum esse, ut regere et imperare debeat. Ante ἄρχεσθαι τε καὶ δουλεύειν ex anteced. οἶον repetas, quod Heindorf. desiderabat.

εἰ ἐκ πάντων — τάδε ἡμῖν ξυμβ.] h. e. an ex iis, quae disputata sunt, hoc consequatur. Notissimus est hic verbi usus in dialecticis, v. Sophist. p. 251 E. De Rep. I. p. 339 A. Infra p. 92 B αἰσθάνει οὖν, ὅτι ταῦτά σοι ξυμβαίνει λέγειν; Gorg. p. 496 E. Ly-sid. p. 217 A. De proximis verbis

θνητῷ καὶ ἀνοήτῳ καὶ πολυειδεῖ καὶ διαλύτῳ καὶ μηδέποτε κατὰ ταῦτα ἔχοντι ἑαυτῷ ὁμοιότατον αὐτὸ εἶναι σῶμα. ἔχομέν τι παρὰ ταῦτα ἄλλο λέγειν, ὡς φίλε Κέβης, ὡς οὐχ οὕτως ἔχει; Οὐκ ἔχομεν.

Cap. XXIX. Τί οὖν; τούτων οὕτως ἔχόντων ἄρ' οὐχὶ σῶματι μὲν ταχὺ διαλύεσθαι προσήκει, ψυχῇ δὲ αὐτὸ παράπαν ἀδιαλύτῳ εἶναι ἢ ἔγγύς τι τούτου; Πῶς γὰρ οὐ; Ἐννοεῖς οὖν, ἔφη, ὅτι, ἐπειδὴν ἀποθάνῃ ὁ ἄνθρωπος, τὸ μὲν ὄρατόν αὐτοῦ, τὸ σῶμα, καὶ ἐν ὄρατῷ κείμενον, ὃ δὴ νεκρὸν καλοῦμεν, ὃ προσήκει διαλύεσθαι καὶ διαπίπτειν καὶ διαπνεῖσθαι, οὐκ εὐθύς τούτων οὐδὲν πέπονθεν, ἀλλ' ἐπιεικῶς συγχρόν ἐπιμένει χρόνον· ἔάν μὲν τις καὶ χαριέντως ἔχων τὸ σῶμα τελευτήσῃ, καὶ

καὶ ἀνοήτῳ] Herm. conl. αἰσθητῷ. At praecessit νοητῷ. ὁμοιότατον εἶναι ψυχή] Nominativum tuentur Bodl. Ven. II Vind. Φ August. Par. CEGH Ambr. Flor. abedm. Editt. omnes ψυχῆν, quod posuerunt qui verbi ξυμβαίνει καὶ ἀνοήτῳ ordine perverso. Tum Bodl. Tub. Ven. II πολυειδεῖ καὶ ἀνοήτῳ ordine perverso. ὡς οὐχ οὕτως ἔχει;] ἢ pro ὡς Bodl. In Tub. Vat. Ven. II Vind. Φ Par. CG Ambr. legitur ἢ οὐχ οὕτως ἔχει. Coisl. habet ἢ ὡς οὐχ οὕτως ἔχει. Nimirum debentur haec grammaticis, qui non vidissent verba ὡς οὐχ οὕτως ἔχει inservire explicationi antecessorum παρὰ ταῦτα ἄλλο λέγειν.

Cap. XXIX. C. ὅτι, ἐπειδὴν] ὅτι om. Tub. et a pr. m. Bodl. Ven. II. Deinde τὸ ante σῶμα e Bodl. Vat. Tub. Ven. II Vind. 16 Ambr. Par. A Flor. d restitutum. In Par. G ante σῶμα aliquid erasum. καὶ διαπνεῖσθαι] om. pr. m. Bodl. et Ven. II probante Hermannno.

per epexegetin pronomini τάδε subiectis v. ad p. 64 C.

Cap. XXIX. C. ἐπιεικῶς συγχρόν ἐπιμ. χρ.] h. e. satis diu, ziemlich lange Zeit. v. ad Criton. p. 43 A.

ἔάν μὲν τις καὶ χαριέντως —] Plenius ante ἔάν μὲν τις distinximus, ubi in editt. plerisque commate tantum incisa est oratio. Neque enim verba priora cum antecessis arctius cohaerent; imo dehinc orditur superiorum verborum explicatio, ut scribi etiam potuerit: ἔάν μὲν γὰρ τις καὶ χ. Quod tamen cave ne reponendum putes, quandoquidem sententiae explicativae a μὲν vel μέν γε exordientes creberrime per asyndeton inferuntur. Cuius usus exempla ad Gorg.

p. 464 B. Symp. p. 180 D. Politic. p. 257 D collegimus, quibus addas Phaedon. p. 87 A. Xen. Cyrop. II. 2, 14. III. 2, 28. IV. 3, 18, ubi v. Schneider. Symp. I. 9. VI. 7 et quae larga manu suppeditat Heindorf. ad Protag. p. 338 C. Respondent autem inter se orationis membra haec: ἔάν μὲν τις καὶ χαριέντως — τελευτήσῃ et ἔνια δὲ μέρη τοῦ σώματος, καὶ ἂν σαπῆ κ. τ. λ., in quibus posterioribus sermonis tenor leviter est inflexus. Est enim totius loci sententia haec: nam sive quis vel in ipso aetatis flore mortuus fuerit, quo tempore corpus propter teneritatem suam putredini maxime est obnoxium, vel hac tali aetate perquam diu

ἐν τοιαύτῃ ᾧρα καὶ πάνυ μάλα· συμπεσὸν γὰρ τὸ σῶμα καὶ ταριχευθέν, ὥσπερ οἱ ἐν Αἰγύπτῳ ταριχευθέντες, ὀλίγου ὄλον μένει ἀμήχανον ὅσον χρόνον· ἐνια δὲ μέρος τοῦ σώματος, καὶ ἂν σαπῇ, ὅσα τε καὶ νεῦρα καὶ τὰ τοιαῦτα πάντα, ὅμως, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀθάνατά ἐστιν. ἢ οὐ; Ναί. Ἡ δὲ ψυχὴ ᾧρα, τὸ ἀειδές, τὸ εἰς τοιοῦτον τόπον ἕτερον οἰχόμενον, γενναῖον καὶ καθαρὸν καὶ ἀει-

D. καὶ ἂν σαπῇ] Sic Bodl. Tub. Ven. II. Legebatur καὶ ἂν σαπῇ.

durat; potest enim integrum conservari prope immensum tempus Aegyptiorum more conditum medicaminibus; si ve corpus in putredinem abierit, sicuti fit, ubi non amplius viride et vegetum fuit, certe nonnullae eius partes, ossa ac tendines et quae sunt alia id genus omnia, prope immortales videntur esse. Etenim *χαριέντως τὸ σῶμα ἔχειν* dicuntur, qui vegeto corpore sunt et pollent gratia ac venustate adeoque iuvenili adhuc utuntur vigore. Ex quo patet, quomodo intellegendum sit istud: *καὶ ἐν τοιαύτῃ ᾧρα*. Nam ad *τοιαύτη* per synesin *χαριέντως* cogitandum relinquitur, de quo loquendi genere v. p. 59 A al. Quatenam autem sit *ᾧρα χαριέντως*, nullo negotio intellegitur ex Protag. p. 309 A. Est enim aetas, qua corpus iuvenili flore maxime est conspicuum, de qua quidem aetate etiam voc. *ᾧρα* constat eximie usurpari solere. Ad *καὶ πάνυ μάλα* vero, quod positum est in clausula ut p. 64 B *καὶ πάνυ*, ex superioribus liquet repetendum esse *συχρόν ἐπιμένει χρόνον*. Iam vero de *ἂν μὲν τις καί*, si quis adeo, compares Phaedr. p. 255 A *ἂν ᾧρα καὶ — διαβεβλημένος ἦ*. Protag. p. 323 B *ἂν τινα καὶ εἰδῶσιν ὅτι ἀδικός ἐστιν*. Tum *συμπεσὸν τὸ σῶμα*, corpus collapsum, cum Fischero intellegas de corpore exenterato, *ταριχευθέν* autem de corpore medicato vel medicaminibus condito. De Aegyptiis v. Herod.

II. 86. Diod. Sic. I. 91. Cic. Tusc. I. 45. Denique inde a verbis: *ἐνια δὲ μέρος κ. τ. λ.* liberius conformata oratio est pro his: si quis autem corpore morbidum et male affecto moriatur, ita ut continuo putrefiat nec diutius conservetur etc. Quae constructionis mutatio unde originem duxerit et quibus causis nitatur, prope modum in aprico est. Quippe accommodata haec sunt, sicuti non raro fieri solet, parenthesi sive sententiae intermediae, quandoquidem habita imprimis ratio est verborum proxime superiorum ὄλον (τὸ σῶμα) μένει ἀμήχανον ὅσον χρόνον, totum permanet tempus mirum quantum, i. e. longissimum, quibus iam opponuntur ἐνια δὲ μέρος τοῦ σώματος — ἀθάνατά ἐστιν. In quibus ad *καὶ ἂν σαπῇ* ubi τὸ σῶμα intellexeris, nihil iam erit reliquum, in quo aliqua ratione haereamus.

D. Ἡ δὲ ψυχὴ ᾧρα —] Adveritas hunc usum particularum δὲ ᾧρα, quae positae in huiusmodi interrogationibus indicant contrarium, quod statnatur, non esse probabile aut verisimile. Phileb. p. 30B τῶν δ' αὐτῶν ὄντων ἐν ὄλω τε οὐρανῶ καὶ κατὰ μέγαρα μέρη, καὶ προσέτι καλῶν καὶ εἰλικρινῶν, ἐν τόντοις δ' οὐκ ᾧρα μεμηχανῆσθαι τὴν τῶν καλλίστων καὶ τιμιωτάτων φύσιν; v. ad Apolog. p. 34 C.

εἰς τοιοῦτον τόπον ἕτερον] in talem itidem locum, qui est ἀειδής. v. ad p. 58 D.

δῆ, εἰς Ἄιδου ὡς ἀληθῶς, παρὰ τὸν ἀγαθὸν καὶ φρόνιμον θεόν, οἷ, ἂν θεὸς ἐδέλη, αὐτίκα καὶ τῇ ἐμῇ ψυχῇ ἰτέον, αὕτη δὲ δῆ ἤμιν ἢ τοιαύτη καὶ οὕτω πεφυκυῖα ἀπαλλαττομένη τοῦ σώματος εὐθύς διαπεφύσεται καὶ ἀπόλωλεν, ὡς φασιν οἱ πολλοὶ ἄνθρωποι; πολλοῦ γε δεῖ, ὃ φίλε Κέβης τε καὶ Σιμμία, ἀλλὰ πολλῶ μᾶλλον E ὅδε ἔχει· ἐὰν μὲν καθαρὰ ἀπαλλάττηται, μηδὲν τοῦ σώματος ξυνεφέλκουσα, ἄτε οὐδὲν κοινωνοῦσα αὐτῷ ἐν τῷ βίῳ ἔκουσα εἶναι, ἀλλὰ φεύγουσα αὐτὸ καὶ συνηθροισμένη αὐτῇ εἰς αὐτήν, ἄτε μελετῶσα ἀεὶ τοῦτο, — τοῦτο δὲ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ ὀρθῶς φιλοσοφοῦσα καὶ τῷ ὄντι τεθνάναι μελετῶσα ῥαδίως· ἢ οὐ τοῦτ' ἂν εἴη μελέτη 81 θανάτου; Παντάπασί γε. Οὐκοῦν οὕτω μὲν ἔχουσα εἰς τὸ ὅμοιον αὐτῇ, τὸ ἀειδές, ἀπέρχεται, τὸ θεῖόν τε καὶ ἀθάνατον καὶ φρόνιμον, οἷ ἀφικομένη ὑπάρχει αὐτῇ εὐδαίμονι εἶναι, πλάνης καὶ ἀνοίας καὶ φόβου καὶ ἀγρίων

οἱ πολλοὶ ἄνθρωποι] οἱ π. τῶν ἀνθρώπων Vind. Φ Ambr.

E. ὃ φίλε Κεβ.] φίλε vulgo neglectum ex codd. longe plurimis et Bas. 2 revocandum fuit.

αὕτη εἰς αὐτήν] Desunt haec in Tub. et in Bodl. margini sunt adscripta. Nimirum visa sunt verba criticis istis esse supervacanea, unde ea deletum iverunt.

P. 81. τὸ ἀειδές] Pro τὸ ἀειδές, quod debetur Bodl. Tub. Coisl. Vat. Ven. ΞII Vind. Φ Par. G Ambr. Aug. Flor. d Eusebio et Stobaeo, vulgo legebatur τὸ θεῖον.

καὶ ἀνοίας] Steph. cum Par. G ἀγνοίας. Mox Ven. ΞII Par. I Flor. e Tub. ἀνθρωπίνων.

εἰς Ἄιδου ὡς ἀληθῶς] in eum locum, qui vere ἀδης est. Ludit enim in similitudine vocabulorum ἀειδής et Ἄιδης. De utriusque voc. necessitudine v. etiam Cratyl. p. 403. Vocat autem hunc verum Ἄιδην, quia illic sunt simplices illae et immutabiles rerum species, quas antea omnis formae expertes esse docuit.

αὕτη δὲ δῆ ἡμ.] Propter longiorem orationis intercapedinem iteratur δέ, quo oppositio inchoata denuo redintegretur. Cf. ad p. 88 B. Legg. III. p. 695 DE.

οἱ πολλοὶ ἄνθρωποι] V. ad p. 65 A.

E. ἔκουσα εἶναι] quantum

quidem ab ipsius voluntate penderet. v. p. 61 C.

τεθνάναι μελετῶσα ῥαδίως] aequo animo mortem meditans. Neque enim ῥαδίως cum τεθνάναι iungendum.

P. 81. Οὐκοῦν οὕτω μὲν ἔχουσα —] Iteratur per οὐκοῦν οὕτως ἔχουσα protasis antea abrupta et absolvitur deiu filum orationis sic, ut apodosis exeat in interrogationem.

ὑπάρχει αὐτῇ εὐδαίμονι εἶναι] h. e. ei contingit esse beatae. Mox ἀγρίους ἐρωτας omnino intellegas de saevis indomitisque cupiditatibus. cf. intpp. ad Aristoph. Nub. 349.

ἐρώτων καὶ τῶν ἄλλων κακῶν τῶν ἀνθρωπείων ἀπηλλαγμένη, ὥσπερ δὲ λέγεται κατὰ τῶν μεμνημένων, ὡς ἀληθῶς τὸν λοιπὸν χρόνον μετὰ τῶν θεῶν διάγουσα; οὕτω φῶμεν, ὡς Κέβης, ἢ ἄλλως;

Cap. XXX. Οὕτω νῆ Δί', ἔφη ὁ Κέβης. Ἐὰν δὲ B γε, οἶμαι, μεμιασμένη καὶ ἀκάθαρτος τοῦ σώματος ἀπαλλάττηται, ἅτε τῷ σώματι ἀεὶ ξυνοῦσα καὶ τοῦτο θεραπεύουσα καὶ ἐρώσα καὶ γεγοητευμένη ὑπ' αὐτοῦ, ὑπὸ τε τῶν ἐπιθυμιῶν καὶ ἡδονῶν, ὥστε μηδὲν ἄλλο δοκεῖν

μετὰ τῶν θεῶν διάγουσα] Articulum τῶν dudum restitui-
mus e Bodl. Coisl. Tub. Ven. II Flor. d Vind. Φ. Praeterea Vind. ἄγουσα.

Cap. XXX. B. γεγοητευμένη] γοητευομένη Tub. et codd. Euse-
bii. In Bodl. et Ven. II est γεγοητευομένη mendose.

τῶν ἐπιθυμιῶν καὶ ἡδ.] Vat. Flor. d Vind. Φ Par. G Ambr.
ὑπὸ τε τῶν ἡδονῶν καὶ ἐπ. Ibidem deinde καὶ φάγοι καὶ πίοι, quod re-
cepit Bekker.

τῶν ἀνθρωπείων] Non sine
causa hoc additur. Etenim humana
vitia opponuntur vitae divinae et
beatae, quam animus acturus est
superatis mortalis vitae molestiis.

μετὰ τῶν θεῶν διάγουσα.]
Secundum rationem constructionis
legitimam scribendum fuisse δια-
γούση nemo superiorum interpre-
tum non intellexit. Quod cum ne
unus quidem e tot codd. nuper col-
latis exhibuerit, haud scio an Hein-
dorffius in isto audacius pronuntia-
verit vel invitis libris esse scriben-
dum διαγούση. Nominativus posi-
tus videtur propterea, quod in an-
tegresso ὑπάρχει αὐτῇ εἶναι
inest notio verbi ἔσται, quae nunc
scriptoris menti obversata est. De
nominativo conf. Thucyd. VII. 42
καὶ τοῖς μὲν Συρακουσίοις καὶ
ἐξυμμάχοις κατάπληξις ἐν τῷ αὐ-
τίνα οὐκ ὀλίγη ἐγένετο, εἰ πέρας
μηδὲν ἔσται σφίσι τοῦ ἀπαλλά-
γῆναι τοῦ κινδύνου, ὄρωντες οὐ-
τε διὰ τὴν Δεκέλειαν τειχιζομέ-
νην οὐδὲν ἦσσαν στρατὸν ἴσον —
ἐπεληλυθότα κ. τ. λ., ubi nemo
ὄρωντες mutaverit. v. Duckerum.
Krüger. ad Thucyd. III. 36, 2 et
Gramm. 56, 9 ann. 4. Jacobs. ad
Achill. Tatium p. 860. Valckenar.
Praef. ad Phalar. p. XI. Hirschi-
gius tamen quovis pacto contendit

διαγούση scribendum esse, qui ita
ad h. l. scripsit: „Qui autem in his
non sentiunt dativi τὰναγκαῖον,
quid ἀκριβείας ac χάριτος Ἀτι-
κῆς ii videre possint quidque utili-
tatis percipere ex Graecorum lectio-
ne, equidem non intellego.“ Sapien-
ter scilicet.

Cap. XXX. B. ὑπ' αὐτοῦ,
ὑπὸ τε τῶν ἐπ. κ. τ. λ.] Verba
ὑπὸ τε τῶν ἐπιθυμιῶν καὶ ἡδο-
νῶν explicant illud ὑπ' αὐτοῦ.
Aesch. adv. Ctes. 81 τοιαύτης
δὲ ἐμπιπτούσης ταραχῆς, μετὰ
τῶν συμφύτων νοσημάτων αὐτῷ
ἤδη τὰ μετὰ ταῦτα ἐβουλεύετο,
μετὰ δειλίας καὶ τῆς πρὸς Φιλο-
κράτην ὑπὲρ τῆς δωροδοκίας ζη-
λοτυπίας. Deinde ἄλλ' ἢ, ut so-
let, post negantem sententiam in-
fertur. Orta est vero haec locutio
ex coniunctione duarum loquendi
formarum, quarum altera oppositio-
nem, altera comparisonem indicat,
qua consociatione Graecis nihil usi-
tatius est. Itaque cum recte dici
posset: ὥστε μηδὲν ἄλλο δοκεῖν
εἶναι ἀληθές, ἀλλὰ τὸ σωματοι-
δές; et cum recte etiam diceretur:
ὥστε μ. ἄ. δ. εἶναι ἀληθές ἢ τὸ
σωματοειδές, utraque loquendi
forma in unum coniuncta dici soli-
tum ὥστε μηδὲν ἄλλο δοκεῖν εἶ-
ναι ἀληθές ἢ τὸ σωματοι-

εἶναι ἀληθές ἢ τὸ σωματοιδές, οὐ τις ἂν ἄψαιτο
καὶ ἴδοι καὶ πίοι καὶ φάγοι καὶ πρὸς τὰ ἀφροδίσια χρή-
σαιτο, τὸ δὲ τοῖς ὄμμασι σκοτώδες καὶ ἀειδές, νοητὸν
δὲ καὶ φιλοσοφία αἰρετόν, τοῦτο δὲ εἰδισμένη μισεῖν τε
καὶ τρέμειν καὶ φεύγειν, οὕτω δὲ ἔχουσαν οἶει ψυχὴν
αὐτὴν καθ' αὐτὴν εἰλικρινῆ ἀπαλλάξεσθαι; Οὐδ' ὅπως-
C
τιοῦν, ἔφη. Ἀλλὰ διειλημμένην γε οἶμαι ὑπὸ τοῦ σω-
ματοειδοῦς, ὃ αὐτῇ ἢ ὁμιλία τε καὶ ξυνοῦσία τοῦ σώμα-
τος διὰ τὸ ἀεὶ ξυνεῖναι καὶ διὰ τὴν πολλὴν μελέτην
ἐνεποίησε ξύμφυτον. Πάνυ γε. Ἐμβριθές δέ γε, ὡ
φίλε, τοῦτο οἶεσθαι χρή εἶναι καὶ βαρὺ καὶ γεῶδες καὶ
ὄρατόν· ὃ δὲ καὶ ἔχουσα ἢ τοιαύτη ψυχὴ βαρύνεται τε
καὶ ἔλκεται πάλιν εἰς τὸν ὄρατόν τόπον, φόβῳ τοῦ ἀει-
δοῦς τε καὶ Ἰδίου, ὥσπερ λέγεται, περὶ τὰ μνήματά τε D
καὶ τοὺς τάφους κυλινδουμένη, περὶ ἃ δὲ καὶ ὠφθη

C. Ἀλλὰ διειλημ. ἀλλὰ καὶ Bodl. Ven. II Tub., sed καὶ in
Bodl. punctis notatum.

ὃ αὐτῇ] Sic codd. fere omnes. Vulg. αὐτῇ. Flor. d habet ὃ αὐτό.
οἶεσθαι] οἶεσθαι γε Vat. Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. d et a m.
sec. Ven. II.

ὃ δὲ καὶ] καὶ om. Vat. Vind. Φ Par. GHL Ambr. Flor. d Zitt.
D. κυλινδουμένη] V. καλινδουμένη. Illam formam cum Bas. 2
tuentur Bodl. Coisl. Tub. Vat. Ven. II Vindobb. TΦ Par. CGHIL Ambr.
Aug. Flor. a b d i m Zitt. v. Fischer. ad Xen. Cyr. I. 4, 5 coll. infra p.
82 E.

δές. Quae quidem ratio cum ab
initio in simplicibus enuntiatis usur-
paretur, postea etiam ad interro-
gantes sententias translata est. Pro-
tag. p. 354 B ἢ ἔχετε τι ἄλλο τέ-
λος λέγειν, εἰς ὃ ἀποβλέψαντες
αὐτὰ ἀγαθὰ καλεῖτε ἄλλ' ἢ ἡδο-
νάς τε καὶ λύπας; Apolog. p. 34B
τίνα ἄλλον ἔχουσι λόγον βοη-
θοῦντες ἐμοὶ ἄλλ' ἢ τὸν ὄρθον
τε καὶ δίκαιον; ubi v. annot. Ean-
dem explicationem habet πλὴν ἢ,
praeterquam. Ceterum prope
eandem formulae illustrandae ratio-
nem inijt Schaeferus Appar. ad
Dem. I. p. 761, qui eam distinguit
ab altera, quae ex ἄλλο ἢ orta
videatur. Deinde notandum prono-
men οὐ pertinere etiam ad verba
ἴδοι καὶ πίοι καὶ φάγοι κ. τ. λ.
v. Matth. §. 428. 2.

τὸ δὲ τοῖς ὄμμασι — τοῦτο

δὲ εἶθ.] De repetito δέ v. ad p. 78
C et p. 80 D.

νοητὸν δὲ καὶ φιλοσοφία
αἰρετόν] Intellegitur illud, quod
in Tim. p. 29 A dicitur λόγῳ καὶ
φρονήσει περιληπτόν.

C. διειλημμένην γε οἶμαι]
Recte Heindorf.: ita occupa-
tam a corpore, ut id per eam
dispersum quasi et dissipa-
tum sit. Verbi usum eleganter
illustravit Morus ad Isocr. Panegy-
c. II. extr.

D. περὶ τὰ μνήματα — φά-
σματα] „Intelleguntur σκιοειδῆ
φαντάσματα umbrae, larvae
umbratiles, quae quia credebantur
circa sepulcra versari et terrere
vivos, propterea ab Apuleio nomi-
nantur sepulcrorum terricu-
lamenta. v. Magius Var. Lectt.
IV. 12. Lavaterus De Spectris

ἄττα ψυχῶν σκοιοειδῆ φαντάσματα, οἷα παρέχονται αἰ τοιαῦται ψυχαὶ εἰδωλα, αἱ μὴ καθαρῶς ἀπολυθεῖσαι, ἀλλὰ τοῦ ὄρατοῦ μετέχουσαι, διὸ καὶ ὄρῶνται. Εἰκὸς γε, ὡς Σώκρατες. Εἰκὸς μέντοι, ὡς Κέβης· καὶ οὐ τί γε τὰς τῶν ἀγαθῶν ταύτας εἶναι, ἀλλὰ τὰς τῶν φαύλων, αἱ περὶ τὰ τοιαῦτα ἀναγκάζονται πλανᾶσθαι δίκην τίνουσαι τῆς προτέρας τροφῆς κακῆς οὔσης. καὶ μέχρι γε τούτου πλανῶνται, ἕως ἂν τῆ τοῦ ξυνεπακολουθοῦντος τοῦ σωματοειδοῦς ἐπιθυμία πάλιν ἐνδεθῶσιν εἰς σῶμα.

Cap. XXXI. Ἐνδοῦνται δέ, ὡςπερ εἰκὸς, εἰς τοιαῦτα ἦθη, ὅποι' ἄτ' ἂν καὶ μεμελετηκῶσι τύχῳσιν ἐν τῷ

σκοιοειδῆ φαντάσματα] Bekkerus ex Par. G dedit σκοιοειδῆ φάσματα. Sed veterem lectionem praeter optimos ac plurimos codd. tuentur etiam Proclus in Remp. p. 382. Origenes c. Celsum II. p. 97 et VII. p. 334. De usu voc. v. explicatt.

καὶ οὐ τί γε] Sic cum Ald. Bass. 1 2 codd. mss. Coisl. Tub. Vat. Ven. AΞII Par. ACEGHIL Ambr. Vindobonenses Flor. a c d i Zitt. Legebatur καὶ οὐτε γε. Dein Ald. Steph. τὰ τῶν ἀγ., quod Ven. II habere videtur.

τροφῆς] τροφῆς Bodl. a m. sec. et Coisl. Vind. T Par. CEHIL Flor. b c i m Zitt., quod vitiosum esse arguit adiectum κακῆς οὔσης.

Cap. XXXI. E. εἰς τοιαῦτα] Sic Coisl. Vind. T Par. ACL Flor. a c m Zitt. et corr. Ven. A. Ante Bekker. εἰς τὰ τοιαῦτα legebatur.

H. 1. Casaubon. ad Persium Sat. V. p. 467 sq. FISCHERUS. Apul. Apol. p. 315 Elmenh. At tibi duat deus ista; semper obvias species mortuorum, quidquid manium est usquam, quidquid Lemurum, quidquid Manium, quidquid Larvarum, oculis tuis oggerat; omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulcrorum terribulamenta. Lactant. Inst. II. 2, 6 Vulgus existimat, animas circa tumulos et corporum suorum reliquias oberrare, ubi v. Bünemann. De voc. φαντάσματα conf. Eur. Hec. 54 φάντασμα δειμαίνουσ' ἐμόν. Ibid. 91 ἦλθ' ὑπὲρ ἀκρας κορυφῆς φάντασμά' Ἀχιλλέως. Aeschyl. Sept. 710 ἐνυπνίων φαντασμάτων ὄψεις.

καὶ οὐ τί γε τὰς τῶν ἀγαθῶν.] Sic legendum esse pro οὐ τί γε primus Fischerus docuit. Eodem modo erratum Parm. p. 150 B, ubi Heindorfius οὐτοι γε requirerebat. Isto οὐτι sequente ἀλλὰ ni-

hil frequentius. v. De Rep. II. p. 373 E. IV. p. 438 E. Theaet. p. 156 E. Cratyl. p. 393 B. Symp. p. 189 B. Hipp. mai. p. 297 E. Est nostrum nicht et wa, quod saepe fortiter negat. Ita infra p. 82 C. Cf. Hermann. ad Viger. p. 803.

τῆς προτέρας τροφῆς] Etym. M. et Suidas: τροφή — λαμβάνεται καὶ ἐπὶ τῆς ἀγωγῆς καὶ παιδείας.

Cap. XXXI. E. εἰς τοιαῦτα ἦθη—] Vocabulum ἦθη etsi male negavit Heindorf. de sedibus ac domiciliis a scriptoribus Atticis usurpari (meliora enim docuit Astius ad Legg. p. 52), tamen hoc certe loco non potest cum Fischer o illa significatione accipi. Neque enim verbum μεμελετηκῶσι huic rationi convenit et quae deinceps sequuntur longe aliam suadent interpretationem. Recte Heindorf. ἦθη τοιαῦτα, inquit, sunt h. l. ζῶα τοιοῦτοις ἦθησι χρώμενα. Ceterum copiosius de huius voc.

φ. Τὰ ποῖα δὴ ταῦτα λέγεις, ὦ Σώκρατες; Οἷον τοὺς μὲν γαστριμαργίας τε καὶ ὕβρεις καὶ φιλοποσίας μεμελετηκότας καὶ μὴ διευλαβημένους εἰς τὰ τῶν ὄνων γένη καὶ τῶν τοιούτων θηρίων εἰκὸς ἐνδύεσθαι. ἢ οὐκ οἶει; 82 Πάνν μὲν οὖν εἰκὸς λέγεις. Τοὺς δέ γε ἀδικίας τε καὶ τυραννίδας καὶ ἀρπαγὰς προτετιμηκότας εἰς τὰ τῶν λύκων τε καὶ ἰεράκων καὶ ἰκτίνων γένη. ἢ ποῖ ἂν ἄλλοσε φαίμεν τὰς τοιαύτας ἔναι; Ἀμέλει, ἔφη ὁ Κέβης, εἰς τὰ τοιαῦτα. Οὐκοῦν, ἢ δ' ὅς, δηλαδὴ καὶ τᾶλλα, οἱ ἂν

φιλοποσίας] Hanc lectionem firmant Bodl. Coisl. Tub. Vat. Ven. AΞII Par. G Aug. Ambr. Flor. d Vind. 1 3 4 6 8 et qui hunc locum excipserunt, Athenaeus, Euseb., Theodoret., Stob., Synes. Male vett. editt. φιλοτησίας. Dein libri permulti, etiam Bodl. Vat. Tub. Aug. διελαβουμένους re ipsa reluctantante.

P. 82. φαίμεν] V. φαμέν, quod cum aliis ex Par. G Euseb. Theodor. mutavi. Neque enim ἂν per sententiae rationem ad ἔναι referri potest. Tenuit tamen φαμέν Herm. Pro ἔναι pr. Bodl. Ven. II Vind. Φ Par. G Tub. εἶναι.

significationibus disputavit Bekkerus Specim. Philostrat. p. 11 sqq. et p. 30. De re ipsa v. Wytttenbach. ad h. l. Similia de animi humani in aliorum corpora animalium migratione Pythagoreos duces secutus Plato fingit etiam Tim. p. 42 et 91 sqq. Phaedr. p. 249. De Rep. X. extr. Pythagoreos vero hanc sententiam ab Aegyptiis sumsisse mutuum arguere videtur Her. II. c. 123.

καὶ φιλοποσίας] Quod vulgo legebatur φιλοτησίας, h. e. propinationes benevolas, invitationes ad bibendum, id lenius est, quam ut cum ceterorum vitiorum, quae hic recensentur, turpitudine una commemorari potuerit. — γαστριμαργία est voracitas, heluatio. ὕβρεις autem de flagitiis et stupris intellegendum.

καὶ μὴ διευλαβημένους] Ficinus: neque quidquam pensi pudorisque habuerunt. Theodoretus καὶ μηδὲν διευλαβημένους, quod probabat Heindorf. Equidem vulgatum, quod codd. mss. omnes tuentur, servandum duxi, sensum autem hunc esse puto: qui sibi non prorsus ab illis vi-

tiis cavejunt, qui illa non omni modo fugerunt.

P. 82. Πάνν μὲν οὖν εἰκὸς λέγεις] Ne quis distinguendum opinetur: Πάνν μὲν οὖν εἰκὸς λέγεις prorsus eadem ratio est Hipp. Mai. p. 281 D πάνν μὲν οὖν ὀρθῶς λέγεις. Menon. p. 76 C πάνν μὲν οὖν χάρισαι. Legg. I. p. 643 A πάνν μὲν οὖν δρωμεν ταῦτα. Charm. p. 175 E ταῦτ' οὖν πάνν μὲν οὖν οὐκ οἶομαι οὐτως ἔχειν, ubi advertas repetitum οὖν. Phileb. p. 41 A πάνν μὲν οὖν τοῦναντίον, ὡς Σώκρατες, εἰρηνας. Protag. p. 312 B πάνν μὲν οὖν μοι δοκεῖ τοιαύτη εἶναι — ἢ μάθησις.

τὰς τοιαύτας ἔναι] h. e. τὰς τῶν τοιούτων ψυχὰς ἔναι. Neque enim τοὺς τοιοῦτους corrigendum, quod vel proxima respuunt.

δηλαδὴ καὶ τᾶλλα] Haec verba explicantur iis, quae proxime adduntur: οἱ ἂν — μελέτης, quo quaeque migret, in quarum bestiarum corpora quaeque abeat pro similitudine morum et studiorum ipsi cum illis communium.

ἐκάστη ἴοι κατὰ τὰς αὐτῶν ὁμοιότητος τῆς μελέτης; Ἀἴ-
λον δὴ, ἔφη· πῶς δ' οὐ; Οὐκοῦν εὐδαιμονέστατοι, ἔφη,
καὶ τούτων εἰσὶ καὶ εἰς βέλτιστον τόπον ἴοντες οἱ τὴν
B δημοτικὴν καὶ πολιτικὴν ἀρετὴν ἐπιτετηδευκότες, ἦν δὴ
καλοῦσι σωφροσύνην τε καὶ δικαιοσύνην, ἐξ ἔθους τε
καὶ μελέτης γεγонуῖαν ἄνευ φιλοσοφίας τε καὶ νοῦ; Πῆ
δὴ οὗτοι εὐδαιμονέστατοι; Ὅτι τούτους εἰκός ἐστιν εἰς
τοιούτου πάλιν ἀφικνεῖσθαι πολιτικόν τε καὶ ἡμερον γέ-
νος, ἢ πού μελιτῶν ἢ σφηκαῶν ἢ μυρμηκῶν, ἢ καὶ εἰς
ταύτων γε πάλιν τὸ ἀνθρώπινον γένος, καὶ γίγνεσθαι
ἐξ αὐτῶν ἄνδρας μετρίους. Εἰκός.

οἱ ἂν ἐκάστη] Sic Bodl. a m. sec. et August. Legebatur ante
Fischerum ἢ ἂν ἐκ. Pro ἐκάστη Bodl. Tub. Ven. Pcd [= AB Wyttenb.]
Vind. Φ Par. G Flor. d a m. sec. et i a pr. m. Coisl. rec. et corr. Par. E
ἐκαστα, quod errore natum videtur propter finitimum δῆλα δὴ καὶ τᾶλλα.
Recipiendum duxit Bernhardus Syntax. p. 430, cui obtemperavit Hermann.
Sed neutrum genus, quia sententiam efficeret nimis late patentem, nobis
minus aptum videtur. Nec pertinent huc quae de pronomine demonstrativo
exposuit Matthiae Gr. §. 439. Vat. habet ἑκαστον. Ceteri tuentur ἐκάστη.
δημοτικὴν καὶ πολιτ.] V. τε καί. Omisi τε cum Bodl. pr. Ven.
II Tub. Euseb.

B. Ὅτι τούτους] Bodl. Ven. II ὅτι οὐ τ., sed in Bodl. οὐ punctis
notatum. Orellius inde con. legendum esse: Οὐ — μετρίους.

πολιτικόν τε καὶ ἡμ.] τε additum e Bodl. Vat. Tub. Ven. II
Vind. Par. G Ambr. Flor. d. Deinde ἢ ante καὶ εἰς τ. om. Coisl. Ven. A
Vind. T Par. ACEHL Aug. Zitt. Flor. a b i m.

Οὐκοῦν εὐδαιμ. — καὶ
τούτων] vel horum, qui non
studuerunt animum suum a rebus
terrenis abstrahere. De populari
et civili virtute gradum obti-
nente inferiorem v. ann. ad p. 68 C.
Similiter praemia amantium consti-
tuta videas Phaedr. p. 248 CDE.
Praeterea audias Wyttenbachi-
um: „Mirum accidit, inquit, hos po-
pularis et civilis virtutis studiosos
adiungi istis vitiosis et flagitiosis et
in commune genus τῶν φαύλων p.
81 D nominatum poni: qui omnes,
sive meliores sive peiores, distin-
guuntur a philosophis mox para-
graphi seq. initio. Haec postea
distinctio a Stoicis maxime cele-
brata est, omnes non σοφοῦς uno
nomine φαύλους appellantis.
Sed et ab aliis ita factitatum, v. c.
Plut. Sap. conviv. p. 157 A τοῖς
μὲν σοφοῖς μέτρον ὁ νόμος δέ-

δοκεῖ πρὸς δὲ τοὺς φαύλους ἐρω-
λόγον τῆς ἐμῆς θυγατρὸς —. Est
autem civilis virtus infimo gra-
da, cum quatuor omnino sint virtu-
tum gradus, ut quidem posteriores
Platonici eos descripserunt, prin-
cipe Plotino Ennead. I. Libr. II.,
unde profecti sequentes eas passim
memorarunt, v. c. Porphyr. De gra-
dibus p. 34. Haec Wyttenba-
chius, qui neglexit locum ipsius
Platonis De Rep. X. p. 619 CD, ubi
eadem sententia paene iisdem ver-
bis illustratur, neque vidit poste-
riorum Platoniorum sententiam ab
ipsius Platonis ratione aliquantum
differre. Nam illi quatuor fere vir-
tutum genera Plotino duce statue-
runt, primum virtutis politicae,
alterum purgatoriae, tertium
animi iam purgati, quartum
denique, quod exemplares vir-
tutes haberet. Hic autem tres tan-

Cap. XXXII. Εἰς δὲ γε θεῶν γένος μὴ φιλοσοφή-
σαντι καὶ παντελῶς καθαρῶ ἀπιόντι οὐ θέμις ἀφικνεῖ-
σθαι ἀλλ' ἢ τῷ φιλομαθεῖ. ἀλλὰ τούτων ἕνεκα, ὃ ἑταῖρε C
Σιμμία τε καὶ Κέβης, οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀπέχον-
ται τῶν κατὰ τὸ σῶμα ἐπιθυμιῶν ἀπάσῶν καὶ καρτε-
ροῦσι καὶ οὐ παραδιδόασιν αὐταῖς ἑαυτούς, οὐ τι οἰκο-
φορίαν τε καὶ πενίαν φοβούμενοι, ὥσπερ οἱ πολλοὶ καὶ
φιλοχρήματοι, οὐδὲ αὖ ἀτιμίαν τε καὶ ἀδοξίαν μοχθηρίας

Cap. XXXII. C. ἀλλ' ἢ] Vulgo ἄλλω ἢ. Sed Par. G Tub. pr. m.
Bodl. Ven. II ἀλλ' ἢ, quod iam Bekker. recepit et Herm. Vaticanus habet:
οὐδ' ἄλλω ἢ.

φιλοσοφοῦντες] V. φιλόσοφοι, quod e Bodl. Vat. Ven. II Tub.
Vind. 146 Par. G Ambr. Flor. d mutatum.

αὐταῖς ἑαυτούς] Sic Bodl. Tub. Iambl. Ceteri αὐτούς.
οὐ τι οἰκοφορίαν] Sic Bodl. Ven. A II Par. ACHI Flor. a b c
d i m et pr. Coisl. Par. G. Vulgo οὐτε οἰκοφθ. Par. E οὔτοι, quod in
Vind. Φ superscriptum. conf. p. 81 D ibique ann.

tum distinxit virtutis gradus, de
quibus ad p. 68 C sqq. explicavi-
mus.

Cap. XXXII. B. Εἰς δὲ γε θεῶν
γένος —] Wyttenbachius ver-
bis transpositis scribendum putavit:
εἰς δὲ γε θεῶν γένος μὴ οὐ θέ-
μις ἀφικνεῖσθαι ἄλλω ἢ τῷ φι-
λομαθεῖ φιλοσοφήσαντι καὶ παν-
τελῶς καθαρῶς ἀπιόντι, in deo-
rum autem genus nefas est
alii pervenire, quam doctri-
nae studioso philosophato
et plane puro abeunti. Hein-
dorffius autem germanam scriptu-
ram fuisse hanc suspicatus est:
ἀλλὰ μόνω τῷ φιλομαθεῖ. τούτων
ἕνεκα κ. τ. λ. Alii etiam alia ex-
cogitarunt. Vereor tamen ulla ut
opus sit verborum correctione, dum-
modo cum optimis libris ἀλλ' ἢ τῷ
φ. recipiamus, quod post negatio-
nem positum est ut supra p. 68 B et
mox p. 81 B, ubi v. annot. Quippe
ὁ φιλομαθής cum Platoni sit idem
qui ὁ φιλόσοφος, facile intellegitur
postremis istis structura orationis
nova sane et insolenti denuo in-
culcari superiora illa: μὴ φιλοσο-
φήσαντι καὶ παντελῶς καθαρῶ
ἀπιόντι, h. e. εἴ τις μὴ φιλοσο-
φήσας καὶ παντελῶς καθαρῶς
ἐστίν. Causa autem iterationis po-

sita in eo est, quod philosophi cum
gravitate opponuntur iis, qui antea
dicti sunt sese aliarum rerum stu-
diis dedisse. De φιλομαθῆς consu-
latur Plato ipse De Rep. II. p. 376 B
τὸ γε φιλομαθῆς καὶ φιλόσοφον
ταύτων. Ibid. IX. p. 581 B φιλο-
μαθῆς δὴ καὶ φιλόσοφον καλοῦν-
τες αὐτὸ κατὰ τρόπον ἂν καλοῦ-
μεν et mox ad Cap. XXXIII. in.

C. οὐ τι οἰκοφορίαν τε
καὶ π. φ.] Voc. οἰκοφορίαν,
rei familiaris iacturam, ex-
plicuit Wyttenbach. ad Plutarch.
p. 66. Proxima οὐδὲ αὖ — ἀπέχον-
ται αὐτῶν integram per se sen-
tentiam efficere verissime monuit
Heindorf. De ἔπειτα post parti-
cipium illato v. annot. ad p. 70 E.
— ἀτιμίαν τε καὶ ἀδοξίαν
μοχθηρίας, dedecus et in-
famiam aerumnosae vivendi
condicionis, qua saepe homi-
nes privati et populari gratia
carentes corpus animumque
gravibus fatigare laboribus
coguntur. Sic enim haec expli-
canda sunt, in quibus qui μοχθη-
ρίας deleri voluit, quia scilicet ἀτι-
μία et ἀδοξία iam per se in ma-
lam partem dicantur, is vere deli-
rasse censendus est. De sententia
conf. Theaet. p. 176.

δεδιότες, ὡςπερ οἱ φίλαρχοί τε καὶ φιλότιμοι, ἔπειτα ἀπέχονται αὐτῶν. Οὐ γὰρ ἂν πρόποι, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ὁ Κέβης. Οὐ μέντοι μὰ Δία, ἢ δ' ὄς. τοιγάρτοι D τούτοις μὲν ἄπασιν, ὦ Κέβης, ἐκείνοι, οἷς τι μέλει τῆς ἑαυτῶν ψυχῆς, ἀλλὰ μὴ σώματα πλάττοντες ζῶσι, χαίρειν εἰπόντες οὐ κατὰ ταῦτα πορεύονται αὐτοῖς, ὡς οὐκ εἰδόσιν ὕπη ἔρχονται, αὐτοὶ δὲ ἠγρούμενοι οὐ δεῖν ἐναντία τῇ φιλοσοφίᾳ πράττειν καὶ τῇ ἐκείνης λύσει τε καὶ καθαροῦ ταύτη τρέπονται, ἐκείνη ἐπόμενοι, ἢ ἐκείνη ὑφηγεῖται.

Cap. XXXIII. Πῶς, ὦ Σώκρατες; Ἐγὼ ἐρῶ, ἔφη. γιγνώσκουσι γὰρ, ἢ δ' ὄς, οἱ φιλομαθεῖς, ὅτι παραλα-

D. ἄπασιν, ὦ Κ.] ἔφη vulgo post ἄπασιν positum om. Vat. Ven. II Tub. et pr. Bodl. Delevimus ut otiosum, quod facile potuit ex glossemate irrepere.

σώματα πλάττοντες] Bodl. a pr. m. et Ven. II Tub. σώματι. Fischerus coni. σῶμά τι, quod Turicc. ediderunt. Pro ἑαυτῶν ψ., quod debetur Bodl. Tub. Iambl., vulgo est αὐτῶν ψ.

D. σώματα πλάττοντες ζ.] Locus, ut videtur, corruptus. Nam σῶμα πλάττειν etsi recte dici possunt ii, qui corpus artificiose fingunt, formant, colunt, (v. Wyttenbach. ad Plut. Moral. p. 3 E), tamen non recte illi dicuntur, qui corpori inserviunt eiusque curae molliter sunt dediti. Libri optimi σώματι, unde Fischerus extudit σῶμά τι, ut verba σῶμά τι πλάττοντες ζῶσι responderent illis οἷς τι μέλει τῆς ψυχῆς, idque nuper probaverunt Turicenses. Sed isto pacto loci difficultates haudquaquam sublatae sunt. Censemus refingendum esse: ἀλλὰ μὴ σῶμα ἀτιτάλλοντες ζῶσι, quorum vel corrupta librorum scriptura σώματι perducit, praesertim cum pluralis σώματα parum aptus videatur. Vocabulum poeticum, iam ab Homero celebratum, ad delicatam mollemque corporis curam et nutritionem designandam eleganti delectu adhibitum. — χαίρειν εἰπόντες, non curantes, spernentes et contemnentis.

Cap. XXXIII. οἱ φιλομαθεῖς] „Animadvertenda est vis et consuetudo nominum φιλομαθῆς et φι-

λόσοφος, quae subinde idem significant, cum φιλομαθῆς sit genus, φιλόσοφος species; omnis φιλόσοφος sit φιλομαθῆς, at non contra omnis φιλομαθῆς idem sit φιλόσοφος. Quam consuetudinem Cicero secutus frequens doctos et doctissimos pro philosophis dixit. Platoni Phaedone p. 67 B οἱ ὁρθῶς φιλομαθεῖς sunt philosophi: idem p. 83 E. De Rep. V. p. 475 E, quo pertinet Procli Quaestio p. 422 τίς ἢ τῶν φιλοσόφων φιλομαθῆς καὶ ἢ τῶν πολλῶν; De Rep. IX. p. 581 B de optimo genere hominum, quod φιλομαθεῖς et φιλοτίμια opponitur, φιλομαθῆς δὲ καὶ φιλόσοφον καλοῦντες αὐτὸ κατὰ τῶν ἂν καλοῦμεν. VI. p. 485 A τοῦτο μὲν δὴ τῶν φιλοσόφων φύσεων περὶ ἀμολογησθῶ ἡμῖν, ὅτι μαθηματὸς γε αἰεὶ ἐρῶσιν, ὃ ἂν αὐτοῖς δηλοῖ ἐκείνης τῆς οὐσίας τῆς αἰεὶ οὐσης καὶ μὴ πλαναιμένης ὑπὸ γενέσεως καὶ φθορᾶς. De Rep. VI. p. 490 A ὃ γε ὄντως φιλομαθῆς. WYTTENBACH.

E. ὅτι παραλαβοῦσα αὐτῶν τ. ψ.] Παραλαμβάνειν dicitur de omnibus iis, qui aliquem accipiunt instituendum, erudiendum,

βοῦσα αὐτῶν τὴν ψυχὴν ἢ φιλοσοφία ἀτεχνῶς διαδε- E μένην ἐν τῷ σώματι καὶ προσκεκολλημένην, ἀναγκαζομένην δὲ ὡςπερ δι' εἰργμοῦ διὰ τούτου σκοπεῖσθαι τὰ ὄντα, ἀλλὰ μὴ αὐτὴν δι' αὐτῆς, καὶ ἐν πάσῃ ἀμαθίᾳ κυλινδομένην, καὶ τοῦ εἰργμοῦ τὴν δεινότητα κατιδοῦσα, ὅτι δι' ἐπιθυμίας ἐστίν, ὡς ἂν μάλιστα αὐτὸς ὁ δεδεμέ-

Cap. XXXIII. E. διαδεδεμένην] δεδεμένην Vat. Ambr. et a pr. m. Flor. δεδεμένην.

εἰργμοῦ] Ita scribendum esse neque vero εἰργμοῦ, quod in libris aliquot hic et deinde scriptum exstat, docent verba Eustathii ad Od. α p. 1387 ed. Rom. καὶ τὸ εἰργμὸν δὲ ἐπὶ μὲν τοῦ καλῶ ἐπίλου (οἱ ἄττικοί), καὶ δῆλον ἐκ τοῦ ἀπειροξεν' ἐπὶ δὲ τοῦ ἐγχεῖω ἐδάσνον, ὡς δηλοῖ τὸ καθ'εἰρξεν' ὅθεν καὶ δασύνεται καὶ ἢ εἰργμῆ.

κυλινδομένην] V. καλινδομένην, quod hic quoque optimi plurimique libri aspernantur. Dein Flor. d ὁ δι' ἐπιθυμίας ἐστίν.

praeceptis, monitis, consiliis augendum et formandum omninoque tractandum, ut hoc loco de philosophia, quae studet animum a vinculis corporis liberare et exsolvere. De quo usu verbi v. Alc. I. p. 121 E. Apol. p. 18 B. Quia autem ostendit simul Socrates, qualis sit animi in corpore condicio, infra demum multis versibus post ad institutam disputationis seriem revertitur, quae res ordinem verborum et orationis sensum paullo impeditiorem et obscuriorem reddit. — Dicitur vero animus in corpore tamquam carcere quodam vinctus teneri eique quasi agglutinatus esse, tam indicare voluit philosophus tam aretam esse animi atque corporis copulationem, ut ille omnia corporis opera et ministerio interveniente considerare soleat. Cratyl. p. 400 B καὶ γὰρ σῆμά τινές φασιν αὐτὸ (τὸ σῶμα) εἶναι τῆς ψυχῆς ὡς τεθαμμένης ἐν τῷ νῦν παρόντι. Hinc intelligitur, quid sit ὡςπερ δι' εἰργμοῦ — σκοπεῖσθαι τὰ ὄντα.

ἐν πάσῃ ἀμαθίᾳ ἢ.] Politic. p. 309 A ἐν ἀμαθίᾳ καὶ ταπεινότητι κυλινδοῦμενοι. Theaet. p. 172 D ἐν διαστηρίοις ἐκ νέων κυλινδοῦμενοι. Synes. Epist. 32 ἐν καπηλείοις κυλινδοῦσθαι. Alia dabit Bergler. ad Alciphro. T. I. p. 132.

ὅτι δι' ἐπιθυμίας ἐστίν, ὡς ἂν μ. — τῷ δεδεῖσθαι] Heindorffius τὸ δι' ἐπιθυμίας εἶναι passivè intellegendum putabat, ut διὰ χαρίτων, διὰ σπουδῆς, διὰ μνήμης, δι' εὐχῆς εἶναι atque ὡς pro ὡςτε dictum accipiebat, ut idem etiam exprimi sic potuerit: ὡςτε ἂν μάλιστα τὸν δεδεμένον ξυλλήπτορα εἶναι τῷ δεδεῖσθαι. Quae ratio non uno nomine displicet. Imo ὁ εἰργμὸς dicitur εἶναι διὰ ἐπιθυμίας, exstitisse sive locum obtinere per cupiditatem, quae qualis sit et quorsum pertineat, verbis proximis declaratur: ὡς ἂν — εἴη, quomodo vinctus ipse maxime captivitatis suae adiutor esse possit, de quo usu voce. ὡς ἂν cum optativo v. ad Phaedr. p. 230 B. 231 A. Recte enim dicitur sensu praegnantem ἐπιθυμῶ ὡς ἂν — εἴη, i. e. cupide circumspicio, quomodo etc. Atque in eo ipso ἢ δεινότης carceris cernitur, quod qui vinctus tenetur ipse cupide captivitatem suam adiuvat. Pro τῷ δεδεῖσθαι facile quis cum Heindorfio desideraverit τοῦ δεδεῖσθαι, quae est verbi συλλαμβάνειν et ξυλλήπτορα εἶναι usitata constructio, de qua consulas Matthiae, §. 325. Cautius tamen hac de re statuendum. Nam dativum codd. omnes tuentur; nec videmus

83 νος ξυλλήπτωρ εἶη τῷ δεδέσθαι, — ὅπερ οὖν λέγω, γινώσκουσιν οἱ φιλομαθεῖς, ὅτι οὕτω παραλαβοῦσα ἡ φιλοσοφία ἔχουσαν αὐτῶν τὴν ψυχὴν ἡρέμα παραμυθεῖται καὶ λύειν ἐπιχειρεῖ ἐνδεικνυμένη, ὅτι ἀπάτης μὲν μεστὴ ἢ διὰ τῶν ὁμμάτων σκέψις, ἀπάτης δὲ ἢ διὰ τῶν ὄτων καὶ τῶν ἄλλων αἰσθήσεων, πείδουσα δὲ ἐκ τούτων μὲν ἀναχωρεῖν ὅσον μὴ ἀνάγκη αὐτοῖς χρῆσθαι, αὐτὴν δὲ εἰς αὐτὴν ξυλλέγεσθαι καὶ ἀδροῖζεσθαι παρακελευομένη, πιστεύειν δὲ μηδενὶ ἄλλω ἄλλ' ἢ αὐτὴν αὐτῇ, ὅτι ἂν νοήσῃ αὐτὴ καθ' αὐτὴν αὐτὸ καθ' αὐτὸ B τῶν ὄντων· ὅτι δ' ἂν δι' ἄλλων σκοπῇ ἐν ἄλλοις ὄν ἄλλο, μηδὲν ἡγεῖσθαι ἀληθές· εἶναι δὲ τὸ μὲν τοιοῦτον αἰσθητὸν τε καὶ ὁρατὸν, ὃ δὲ αὐτῇ ὁρᾷ νοητὸν τε καὶ ἀειδές. ταύτῃ οὖν τῇ λύσει οὐκ οἰομένη δεῖν ἐναντιοῦσθαι ἢ τοῦ ὡς ἀληθῶς φιλοσόφου ψυχῇ οὕτως ἀπέχεται τῶν ἡδονῶν τε καὶ ἐπιθυμιῶν καὶ λυπῶν καὶ φόβων καθ' ὅσον δύναται, λογιζομένη, ὅτι, ἐπειδὴν τις σφόδρα ἡσθῆ ἢ φοβηθῆ ἢ λυπηθῆ ἢ ἐπιθυμήσῃ, οὐδὲν τοσοῦτον κακὸν ἔπαθεν ἀπ' αὐτῶν, ὅσον ἂν τις οἴηθει, οἶον

P. 83. ἀναχωρεῖν] ἀποχωρεῖν Vat. Ven. II Vind. Φ Ambr. et a pr. m. Flor. d.

B. ἐπιθυμιῶν καὶ λυπῶν] λυπῶν καὶ ἐπιθυμιῶν Vat. Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. d. Eodem ordine iidem libri mox cum Iambl. ἢ λυπηθῆ ἢ φοβηθῆ. Non male; quamquam veterem lectionem non sum ausus mutare. Ceterum ἢ λυπηθῆ pr. Bodl. Ven. II Tab. omittunt.

ὅσον ἂν] Codd. Bodl. Vat. Tab. Ven. II Vind. Φ Par. CEGHIL Ambr. Aug. Flor. a b d i m ὡν ἂν, quod e compendio scripturae natum

gravem eius mutandi necessitatem, modo eum cum εἶη arctius cohaerere animadverterimus, hoc sensu: quomodo ipse vincetus captivitate suae sit adiutor.

P. 83. παραμυθεῖται] Vide ad p. 70 B. Ceterum οὕτω, quod pertinet ad ἔχουσαν, cum vi praemissum est ob verba proxime antecedentia, ut transpositione verborum handquaquam opus sit.

B. ὅτι δ' ἂν δι' ἄλλων — ἐν ἄλλοις ὄν ἄλλο] Opponitur δι' ἄλλων praecedenti αὐτῇ καθ' αὐτὴν, ita ut significet δι' αἰσθήσεων vel διὰ τοῦ σώματος. Eodem modo τὸ ἐν ἄλλοις ὄν ἄλλο opponitur τῷ καθ' αὐτὸ, ut intel-

legendae sint res sensibus subiectae, quae, quoniam obnoxiae sunt perpetuae vicissitudini et mutationi, ἐν ἄλλοις ἄλλα esse dicuntur. Nam illud, quod aequale, pulcrum, magnum, parvum vocamus, sibi nullo modo constat, sed alio tempore aliud videtur; ipsa autem aequalitas, pulchritudo, magnitudo eadem est ac sibi semper similis. — τῶν ὄντων pendet e pronomine ὅτι.

οὕτως ἀπέχεται τῶν ἡδ.] Ita οὕτως post participia poni dictum est ad p. 61 C.

ἔπαθεν ἀπ' αὐτῶν] Sc. τῶν ἡδονῶν καὶ φόβων καὶ λυπῶν καὶ ἐπιθυμιῶν, quod ex verbis praecedentibus cogitatione repeten-

ἢ νοσήσας ἢ τι ἀναλώσας διὰ τὰς ἐπιθυμίας, ἀλλ' ὃ C πάντων μέγιστόν τε κακὸν καὶ ἔσχατόν ἐστι, τοῦτο πάσχει καὶ οὐ λογίζεται αὐτό. Τί τοῦτο, ὦ Σώκρατες; ἔφη ὁ Κέβης. Ὅτι ψυχὴ παντὸς ἀνθρώπου ἀναγκάζεται ἅμα τε ἡσθῆναι ἢ λυπηθῆναι σφόδρα ἐπὶ τῷ καὶ ἡγεῖσθαι, περὶ ὃ ἂν μάλιστα τοῦτο πάσχει, τοῦτο ἐναργέστατόν τε εἶναι καὶ ἀληθέστατον, οὐχ οὕτως ἔχον. ταῦτα δὲ μάλιστα *τὰ* ὁρατά. ἢ οὐ; Πάνυ γε. Οὐκοῦν ἐν τούτῳ τῷ πάθει μάλιστα καταδεῖται ψυχὴ ὑπὸ σώματος; D

videtur. Recte Bas. 1 et Steph. ὅσον ἂν, quod praeter Flor. e Zitt. Par. A tuetur etiam Coisl.

C. μέγιστόν τε κακόν] Sic Bodl. Vat. Tab. Ven. II Vind. Φ Par. CGI Ambr. Aug. Vett. editi. κακῶν.

Ὅτι ψυχῇ] V. Ὅτι ἢ ψυχῇ, quod cum Bodl. Coisl. Vat. Ven. II Tub. Aug. Par. G Ambr. mutatum.

ἐπὶ τῷ] Perperam Steph. ἐπὶ τῷ, cum iam Aldus emendatam habeat scripturam.

εἶναι καὶ ἀληθέστατον] Sic codd. plerique omnes in iisque Bodl. Coisl. Vat. Ven. Φ II Tub. Flor. d. Vulgo legebatur καὶ ἀληθέστατον εἶναι.

τὰ ὁρατά] τὰ cum Bekkero inserui de coniectura Heindorfii assentiente Hermanno.

D. καταδεῖται ψυχῇ] V. ἢ ψυχῇ. Articulum bene omittunt Bodl. Vat. Coisl. Ven. Φ II Tub. Par. CGHL Flor. a m Zitt. Sequitur enim ὑπὸ σώματος. Alioquin e Vat. Vind. Φ Par. GL Ambr. et rec. Bodl. ὑπὸ τοῦ σώματος fuerit recipiendum.

dum. Istud ἀπό autem ne quis in ὑπό mutandum aut pro eo positum opinetur, in huiusmodi locis indicat alicuius rei occasionem vel opportunitatem, non ipsam causam efficientem, v. Hermann. ad Soph. El. 65. Itaque haec ita convertas: indem sie bedenkt, dass, wenn jemand sehr heftig sich freut oder fürchtet, — er nicht (etwa nur) ein so grosses Uebel von daher erleidet etc. Praeterea animadvertes τοσοῦτον nunc minuendi potius quam augendi significationem habere, qui usus latuisse videtur interpretes. Nec tamen rara sunt eius exempla. v. Sophist. p. 217 E. De Rep. X. p. 608 B. Schaefer. Praefat. ad Iulian. Or. p. XII. Lexic. Xenoph. T. IV. p. 320 et de simili usu Lat. tantum Manut. ad Cicer. Epist. I. 7. Vulgo in talibus locis μόνον intellegunt, cuius vocis notio utique

proximorum verborum oppositione continetur, quae eam habet vim, ut τοσοῦτον cum τονώσει pronuntiaandum sit, v. Schaefer. ad Lamb. Bos. p. 308 sq.

C. Ὅτι ψυχῇ παντὸς ἀνθρώπου] Ante ψυχῇ et σώμα, sicubi generatim dicuntur, saepe numero articulum omitti iam alibi ostendimus. Sic paullo post: καταδεῖται ψυχῇ ὑπὸ σώματος, ubi vulgo legitur καταδεῖται ἢ ψυχῇ ὑπὸ σώματος. Sed verissime observavit Heindorf. ad p. 64 E, ubi duo nomina aliquo modo inter se iuncta pariter definita sint aut indefinita, articulum fere aut praefigi utrique aut ad utramque omitti. Quocirca aut ἢ ψυχῇ ὑπὸ τοῦ σώματος dicendum fuit aut articulo utrinque abiecto ψυχῇ ὑπὸ σώματος. Quamquam haec lex non est adeo immutabilis, ut non subinde neglegatur, v. Legg. X. p. 896 C.

Πῶς δὴ; Ὅτι ἐκάστη ἡδονὴ καὶ λύπη ὥσπερ ἦλον ἔχουσα προσηλοῖ αὐτὴν πρὸς τὸ σῶμα καὶ προσπερονᾷ καὶ ποιεῖ σωματοειδῆ, δοξάζουσαν ταῦτα ἀληθῆ εἶναι, ἅπερ ἂν καὶ τὸ σῶμα φῆ. ἐκ γὰρ τοῦ ὁμοδοξεῖν τῷ σώματι καὶ τοῖς αὐτοῖς χαίρειν ἀναγκάζεται, οἶμαι, ὁμότροπός τε καὶ ὁμότροφος γίνεσθαι καὶ οἷα μηδέποτε καθαρῶς εἰς Ἄιδου ἀφικέσθαι, ἀλλ' αἰεὶ τοῦ σώματος ἀναπλέα ἐξίεναι, ὥστε ταχὺ πάλιν πίπτειν εἰς ἄλλο σῶμα καὶ ὥσπερ σπειρομένη ἐμφύεσθαι, καὶ ἐκ τούτων ἄμοιρος εἶναι τῆς τοῦ θείου τε καὶ καθαρῶν καὶ μονοειδοῦς συνουσίας. Ἀληθέστατα, ἔφη, λέγεις, ὁ Κέβης, ὁ Σάκρατες.

Cap. XXXIV. Τούτων τοίνυν ἕνεκα, ὁ Κέβης, οἱ δικαίως φιλομαθεῖς κόσμιοί τ' εἰσὶ καὶ ἀνδρεῖοι, οὐχ ὧν οἱ πολλοὶ ἕνεκά φασιν. ἢ σὺ οἶε; Οὐ δῆτα ἔγωγε. Οὐ γὰρ ἀλλ' οὕτω λογίζαιτ' ἂν ψυχὴ ἀνδρός φιλοσόφου, καὶ οὐκ ἂν οἰηθείη τὴν μὲν φιλοσοφίαν χρῆναι ἑαυτὴν λύειν, λυούσης δὲ ἐκείνης αὐτὴν παραδιδόναι

οἷα μηδέποτε] V. οἷα, quod Bekkerus post Fischerum e Bodl. Coisl. Ven. Ξ Vind. TΦ Par. GI emendavit. Deinde τοῦ σώματος ἀναπλέα Bodl. Ven. II Tub. al. Vulgo ἀναπλέα τοῦ σώματος. Vind. Φ ἀνάπλεω. Aug. ex corr. ἀνάπλεως, quod firmant alii, in quibus est ἀνάπλεα.

Cap. XXXIV. κόσμιοί τ' εἰσὶ] τ' e Vat. Ven. II Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. d et rec. Bodl. additum. Sprevit voculam Herm. auctoritatem Bodl. pr. m., ut solet, secutus.

P. 84. ἑαυτὴν λύειν] αὐτὴν Vat. Par. L Ven. Φ.

D. καὶ οἷα μηδέποτε — ἀφικέσθαι] h. e. καὶ τοιαύτη, ὥστε μηδέποτε ἀφ.

τοῦ σώματος ἀναπλέα] corpore polluta et inquinata. vid. Ruhken. ad Tim. Gloss. p. 30 sqq.

Cap. XXXIV. οἱ δικαίως φιλομαθεῖς] Intelleguntur οἱ ὁρθῶς φιλοσοφοῦντες. γ. ad p. 82 C.

κόσμιοι] h. e. σώφρονες, qui cupiditatibus abstinent, non iis indulgent.

ἀνδρεῖοι] ut Lat. fortes dicuntur, qui spernunt voluptates neque cedunt earum illecebris.

οὐχ ὧν οἱ πολλοὶ ἕνεκά φασιν] Hoc dicit Socrates: Sa-

pientes sunt temperantes atque fortes non eorum causa, propter quae vulgo homines se fatentur fortes et temperantes esse. Etenim ad φασίν liquet intellegendum esse κόσμιοι καὶ ἀνδρεῖοι εἶναι. conf. p. 68 D sqq. Itaque non adstipulamur sententiae C. Fr. Hermann, qui olim in Allgem. Schulzeitg. a. 1830. Sect. II. fol. 41 verba: ἕνεκά φασιν e glossemate orta iudicavit, postea autem in N. Rhein. Mus. a. 1846. Vol. IV. p. 439 sq. et in Ges. Abhandl. p. 80 pro φασίν reponi voluit φαίνονται, quod posterius nollem ab eo in editione Teubneriana protenus Platoni esset obtrusum.

ταῖς ἡδοναῖς καὶ λύπαις ἑαυτὴν πάλιν αὐτὴν ἐγκαταδεῖν καὶ ἀνήνυτον ἔργον πράττειν Πηνελόπης τινὰ ἐναντίως ἰστὸν μεταχειριζομένην, ἀλλὰ γαλήνην τούτων παρασκευάζουσα, ἐπομένη τῷ λογισμῷ καὶ αἰεὶ ἐν τούτῳ οὔσα, τὸ ἀληθές καὶ τὸ θεῖον καὶ τὸ ἀδόξαστον θεωμένη καὶ ὑπ' ἐκείνου τρεφομένη ζῆν τε οἶεται οὕτω δεῖν, ἕως ἂν ζῆ, B καὶ ἐπειδὴν τελευτήσῃ, εἰς τὸ ξυγγενές καὶ εἰς τὸ τοιοῦτον ἀφικομένη ἀπηλλάχθαι τῶν ἀνθρωπίνων κακῶν. ἐκ δὴ τῆς τοιαύτης τροφῆς οὐδὲν δεινὸν μὴ φοβηθῆ,

αὐτὴν ἐγκαταδεῖν] αὐτὴν om. Vat. Vind. Φ Par. G Flor. c d Zitt. Dein marg. Bodl. ἐπιναταδεῖν.

μεταχειριζομένην] Libri omnes μεταχειριζομένης praeter Vat. Ven. Ξ Ambr. Flor. a d et Par. G rec., qui cum edit. praeter Herm. habent μεταχειριζομένην. Genetivum etiam Iamblichus tuetur.

B. οἶεται οὕτω δεῖν] Sic Bodl. Ven. II Tub. Iamblich. Vett. edit. hunc habent verborum ordinem οἶεται δεῖν οὕτως. Vat. Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. d οὕτως οἶεται, quod susceperunt Bekker. et Turr.

ἐκ δὴ τῆς] Bekker. ex uno Ven. II δὴ in δέ mutavit. Quod quamquam etiam Tub. et Iamblich. habet, tamen non probamus. Aptius δὴ in argumentationis conclusione.

P. 84. καὶ ἀνήνυτον — μεταχειριζομένην] Etsi libri plurimi μεταχειριζομένης genetivum tuentur, quem C. Fr. Hermann, ita defendit, ut eum iubeat referri ad philosophiam, tamen re accuratius pensitata ad vulgarem revertimur sententiam, qua μεταχειριζομένην pro vero habetur atque res ad animum, non ad philosophiam pertinere iudicatur. Nam animum dici tractare quandam Penelopes telam prorsus evincunt verba: ἀνήνυτον ἔργον πράττειν, h. e. inexsuperabile opus, quod nunquam perfici possit (v. Valcken. ad Theocr. Adon. p. 379), agere, quae locutio videtur non satis diligenter ab omnibus animadversa esse. Itaque animus iudicatur Penelopes telam tractare, quatenus, licet per philosophiam a corpore liberari cupiat, tamen sese denuo dedat voluptatibus ac doloribus constringendum. Quod quidem verissime dicitur ἐναντίως, contrario modo atque Penelope facere. Haec enim, quo procos falleret, noctu retexebat, quae interdum contexerat, ille autem quae retexta

sunt liberatione a corporis sensibus suscepta ea rursus quasi contextit sese denuo corporis tradens affectibus et cupiditatibus. Igitur tela, quam tractat, intellegitur liberatio sui a corporis vinculis.

γαλήνην τούτων π.] Hoc pronomen Heindorf. refert ad verba τὸ ἀνήνυτον ἔργον πράττειν II. τ. ἐν ἰστ. μ. Rectius, opinor, Fischerus intellegit τῶν ἡδονῶν καὶ λυπῶν.

καὶ αἰεὶ ἐν τούτῳ οὔσα] h. e. et semper in eo occupata s. id semper agens, ut rationi obtemperet. v. ad Criton. p. 47 B. Menex. p. 244 C.

τὸ ἀδόξαστον] Intellegitur illud, quod quia certam veramque scientiam (ἐπιστήμην) efficit, incertam opinionis rationem (δόξαν) prorsus aspernatur. Etenim δόξα oritur e consideratione rerum sensibus subiectarum, ἐπιστήμη autem est scientia, quae veritatis aeternae, h. e. idearum contemplatione comparatur.

B. οὐδὲν δεινὸν μὴ —] h. e. non est periculum, ne metuat, ut Apolog. p. 28 B. Gorg. p. 520 D.

ταῦτά γ' ἐπιτηδεύσασα, ᾧ Σιμμία τε καὶ Κέβης, ὅπως μὴ, διασπασθεῖσα ἐν τῇ ἀπαλλαγῇ τοῦ σώματος, ὑπὸ τῶν ἀνέμων διαφρυσθεῖσα καὶ διαπτομένη οἴχηται καὶ οὐδὲν ἔτι οὐδαμοῦ ἦ.

Cap. XXXV. Σιγή οὖν ἐγένετο, ταῦτα εἰπόντος τοῦ Σωκράτους, ἐπὶ πολὺν χρόνον, καὶ αὐτὸς τε πρὸς τῶ εἰρημένῳ λόγῳ ἦν ὁ Σωκράτης, ὡς ἰδεῖν ἐφαίνετο, καὶ ἡμῶν οἱ πλεῖστοι. Κέβης δὲ καὶ Σιμμίας σμικρὸν πρὸς ἀλλήλω διελεγέσθην. καὶ ὁ Σωκράτης ἰδὼν αὐτὰ ἤρετο, Τί; ἔφη· ὑμῖν τὰ λεχθέντα μᾶν μὴ δοκεῖ ἐνδεῶς λελέχθαι; πολλὰς γὰρ δὴ ἔτι ἔχει ὑποψίας καὶ ἀντιλαβὰς,

ταῦτά γ' ἐπιτηδεύσασα] Libri δ', quod cum Fischer et Bekkero de sententia Stephani in γ' mutavimus. Heindorfius ex Aug. dedit ταῦτ' ἐπιτηδεύσασα. Pro ἐπιτηδεύσασα Steph. ἐπιτηδεύουσα, quod unus Par. E tenet, ceteri recte aoristum firmant.

ὑπὸ τῶν ἀνέμων] Vett. editt. ὑπὸ τινῶν ἀν. invitis codicibus, ut videtur, omnibus. Pro vulg. διαπτομένη ex Bodl. pr. Coisl. Ven. AII Par. CEI Ambr. Aug. Florentinis restitutum διαπτομένη, quod magis Atticum habetur. Par. H Tub. διαπτομένη, Par. G διαπτομένη. Recte Porsonus ad Med. v. 1. „Attici in praesenti adhibent πέτομαι, πέταμαι, in aoristo ἐπτόμην, ἐπτάμην, quorum prius ita praefendum iudico, ut contra librorum tamen consensum nihil mutetur.“ Platonis libri in hoc quidem opere ο tuentur, conf. p. 70 A. p. 109 E.

Cap. XXXV. C. μᾶν μὴ δ. ἐνδ. λελέχθαι] V. λέγεσθαι, quod ex Bodl. Coisl. Vat. Vind. Φ Par. CG Ambr. Flor. c d m correctum. Etenim non iam agitur de eo, quod adhuc statuatur, sed de eo, quod antea dictum sit. Herm. tamen cum Bodl. pr. m., cui uni maxime adhaerescit,

Her. I. 84. Istud ταῦτά γε ἐπιτηδεύσασα cur ita praemissum sit, neminem, opinor, praeteribit; repetitur enim cum vi et gravitate accuratiusque illustratur quod iam significatum est verbis ἐν τῆς τοιαύτης τροφῆς, in quo nihil est cur quis offēdat.

Cap. XXXV. C. αὐτὸς τε πρὸς τῶ εἰρημένῳ λόγῳ ἦν] h. e. ipse defixus erat in cogitatione eorum, quae disputata erant, s. habitam disputationem mente secum cogitabat. Loquendi genus illustraverunt Viger. p. 662. Wyttenbach. ad Plut. De sera num. vind. p. 21 et annot. ad h. l. Interpp. ad Horat. Sat. I. 9, 2.

ὡς ἰδεῖν ἐφαίνετο] h. e. ut quidem apparebat, ubi quis

eum intuebatur. Nam errat Fischer., qui ἰδεῖν interpretatur βλέπειν, vultum habere, vultum induere. Errat etiam Heindorf., qui ἰδεῖν passive dictum putat comparans formulam καλὸς ἰδεῖν et similia, in quibus et ipsis ἰδεῖν active accipiendum. Nam καλὸς ἰδεῖν proprie est: schön anzusehen, h. e. pulcher, si quis eum videat. De Rep. X. p. 615 E διάπυροι ἰδεῖν. Tim. p. 52 E παντοδαπὴν ἰδεῖν φαίνεσθαι. Iamblich. Myster. Aeg. II. 8. p. 50 ὀλιγοδρανοῦσιν, ὡς ἰδεῖν φαίνονται, h. e. ut apparet, si quis eos adspiciat. conf. Matthiae Gr. §. 535 a.

Τί; ἔφη· ὑμῖν τὰ λεχθέντα μᾶν μὴ δοκεῖ ἐνδ. λ.] μᾶν μὴ δοκεῖ: es scheint doch

εἰ γε δὴ τις αὐτὰ μέλλει ἱκανῶς διαξιέναι. εἰ μὲν οὖν τι ἄλλο σκοπεῖσθον, οὐδὲν λέγω· εἰ δέ τι περὶ τούτων ἀπορεῖτον, μηδὲν ἀποκνήσητε καὶ αὐτοὶ εἰπεῖν καὶ διεξιελθεῖν, εἰ πῆ ὑμῖν φαίνεται βέλτιον λεχθῆναι, καὶ αὐτὸ καὶ ἐμὲ ξυμπαραλαβεῖν, εἰ τι μᾶλλον οἴεσθε μετ' ἐμοῦ εὐπορήσειν. Καὶ ὁ Σιμμίας ἔφη, Καὶ μὴν, ᾧ Σώκρατες, τάληθῆ σοι ἐρῶ. πάλαι γὰρ ἡμῶν ἐκάτερος ἀπορῶν τὸν ἕτερον προωθεῖ καὶ κελεύει ἐρέσθαι διὰ τὸ ἐπιθυμεῖν μὲν ἀκούσαι, ὀκνεῖν δὲ ὄχλον παρέχειν, μὴ σοι ἀηδὲς ἦ διὰ τὴν παροῦσαν ξυμφορὰν. Καὶ ὅς ἀκούσας ἐγέλασέ τε ἠρέμα καὶ φησι, Βαβαί, ᾧ Σιμμία· ἦ που χαλεπῶς ἂν τοὺς ἄλλους πείσαιμι ἀνθρώπους, ὡς οὐ ξυμφορὰν ἐγγούμαι τὴν παροῦσαν τύχην, ὅτε γε μηδ' ὑμᾶς δύναμαι πείθειν, ἀλλὰ φοβεῖσθε, μὴ δυσκολώτερόν τι νῦν δια-

revocavit λέγεσθαι. De particulis μᾶν μὴ, quas Wyttenbach. in μῶν πῆ mutatum ivit, conf. annot.

εἰ δέ τι] Editt. omnes εἰ δέ. Restituit τι e Vat. Ven. II Flor. di Ambr. In Bodl. est εἰδέτι. Tub. habet εἰ δ' ἔτι, unde Heindorf. coniciebat εἰ δ' ἔτι τι. Verbum ἀπορεῖν ita cum accusativo iunctum illustravit Heindorf. ad Cratyl. p. 409 D. Mox Bodl. a pr. m. Ven. Ξ in marg. Tub. Aug. διελεθεῖν pro διεξιελθεῖν probante Herm.

E. πείσαιμι ἀνθρώπους] V. ἀνθρώπους πείσαιμι, quod ex plurimis libris mutatum. Vulgarem ordinem Turr. servarunt. Herm. voc. ἀνθρώπους uncis seclusit.

ὅτε γε] V. ὅτι, quod correctum e Coisl. Vat. Tub. Ven. Ξ Par. CG HIL Vindobonensibus Flor. a d i m Aug. Ambr. Zitt.

nicht etwa. v. ann. ad Lys. p. 208 C. Hermann. ad Viger. p. 789 sq. Cum vi praemissum ὑμῖν est propter oppositionis rationem; μῶν μὴ autem mediae interrogationi interpositum, ut De Rep. VI. p. 505 C.

D. καὶ αὐτοὶ εἰπεῖν] His verbis respondent illa καὶ αὐτὸ καὶ ἐμὲ ξυμπαραλαβεῖν.

ἐγέλασέ τε ἠρέμα καὶ φησι] Hac praesentis cum aoristo conjunctione nihil frequentius. vid. Heindorf. ad h. l. Schaefer. Melet. p. 116. Porson. ad Eurip. Hec. 21. Med. 1138. Astius ad Phaedr. p. 335. Matth. §. 504.

ἦ που χαλεπῶς —] Recte Hesychius ἦ που interpretatur ὄντως που, wahrlich wol. v. Gorg. p. 448 A. 469 B. Euthyphr. p. 4 A. Lys. 207 D. Euthydem. p. 299 A. De Rep. X. p. 595 C.

E. ὅτε γε] prorsus respondet Lat. quandoquidem. v. ad Protag. p. 356 C.

μὴ δυσκ. — διάκειμαι] Heindorf. et Buttman. Gr. Ampl. T. I. p. 545 διάκειμαι pro conjunctivo habent, cuius tamen formae certa exempla desunt. Nam infra p. 93 A non est dubium quin συγκέηται cum libris scribendum sit. Apud Isocr. autem De antidos. 259 ὅπως ἂν ὑμεῖς σαφέστερον εἰδότες τὴν δύναμιν αὐτῶν οὐτω διάκεισθε πρὸς ἐκάστους recte Bekker. legendum censet διακέησθε. Itaque διάκειμαι cum Hoogeveenio De part. p. 684 ed. Schütz. Matthiae Gr. §. 520. an. 2 et Grasero Adversar. p. 39 pro indicativo accipio, ut μὴ sit num. Lysid. p. 218 D φοβούμαι, μὴ — λόγοις ψεύδεσιν ἐντετυχηκαμεν.

κειμαι ἢ ἐν τῷ πρόσθεν βίῳ. καί, ὡς εἶκε, τῶν κύκνων
δοῦν φανυλότερος ὑμῖν εἶναι τὴν μαντικὴν, οἷ, ἐπειδὴν
αἰσθάνονται, ὅτι δεῖ αὐτοὺς ἀποθανεῖν, ἄδοντες καὶ ἐν
85 τῷ πρόσθεν χρόνῳ, τότε δὴ πλεῖστα καὶ μάλιστα ἄδουσι,
γεγηθότες, ὅτι μέλλουσι παρὰ τὸν θεὸν ἀπιέναι, οὐπερ
εἰσὶ θεράποντες. οἱ δὲ ἄνθρωποι διὰ τὸ αὐτῶν δέος
τοῦ θανάτου καὶ τῶν κύκνων καταψεύδονται, καὶ φασιν
αὐτοὺς θρηνοῦντας τὸν θάνατον ὑπὸ λύπης ἐξάδειν, καὶ
οὐ λογιζονται, ὅτι οὐδὲν ὄρνεον ἄδει, ὅταν πεινῇ ἢ δι-
γοῖ ἢ τινα ἄλλην λύπην λυπῆται, οὐδὲ αὐτὴ ἢ τε ἀηδῶν

P. 85. καὶ μάλιστα] καὶ μέγιστα Par. L.
ἢ διγοῖ] Nullus cod. διγοῖ habet.

Thucyd. III. 53. 2 νῦν δὲ φοβού-
μεθα μὴ ἀμφοτέρων ἡμαρτήκα-
μεν. Alia dabit Elmslei. ad Me-
deam 310. Nec abludit Plat. Hipp.
mai. p. 296 A φοβοῦμαι, τί
ποτ' αὐ λέγομεν.

οἷ, ἐπειδὴν αἰσθάνονται]
Notissima est, ad quam hic alludit
Socrates, veterum opinio. Vide, si
tantum est, quae collegit Davisius
ad Cic. Tusc. Disp. I. 30. FOR-
STER. Quibus adde Dion. Chry-
sost. p. 223 ed. Emper., qui cygno-
rum cantum luculentius describit,
et Aristot. Hist. anim. I. p. 615
ed. Bk. Elegantissime hoc argu-
mentum tractarunt I. H. Voss My-
tholog. Briefe. T. II. p. 112 sqq.
Hamaker. Lectt. Philostrat. p. 10
sqq. et Isaacus Peerlkamp.
Dissert. de cantu cygni. Groning.
1824. 8. Nec vero inanem fuisse
istam veterum de cantu cygnorum
opinionem satis iam testati sunt
recentiores naturalis historiae scru-
tatores, qui genus quoddam cygni
feri, quem etiam musicum et me-
lanomychon appellant, reperiri
scripserunt, qui cantum emittat
querulum quidem, sed eundem
dulcedine ac mollitudine sua plane
admirabilem. Quem quidem veteri-
bus cognitum fuisse ex eo fit veri-
simile, quod cum fere in borealibus
regionibus moretur, tamen subinde
etiam oras meridionalium terrarum
invisit. Res hodie non ignota, de

qua v. Bechstein Naturgesch. d.
Vögel Deutschl. II. p. 581. Pallas
Nordische Beiträge III. p. 10 et IV.
p. 8. einsd. Aeltere Reise-Ansz. II.
p. 7. Buffon. ed. Cuvier. Col-
lon. a. 1840, de avibus Vol. III. p.
345 sqq. Oken. Naturgesch. T.
VIII. p. 482 sqq. Uno v. Troils
Reise nach Island p. 115 sq. Pro
καὶ πλεῖστα καὶ μάλιστα Blom-
field. Glossar. ad Aesch. Agam.
1419 legendum censebat καὶ πλεῖ-
στα καὶ κάλλιστα collato Por-
son. ad Eur. Phoen. 878, Coniectu-
ra sanequam elegans, sed minus
necessaria.

P. 85. οὐπερ εἰσὶ θεράπον-
τες] Mox ipse dicit τοῦ Ἀπόλλωνος
ὄντες. De cygnis Apollini ministris
v. Callim. Hymn. in Delum v. 249.
Cic. Tusc. I. 30. Aelian. Hist.
anim. II. 32 et XIV. 13. Inde cygni
etiam in numis Apollini additi.
καὶ τῶν κύκνων κατα-
ψεύδονται] h. e. etiam de
cygnis falsa comminiscun-
tur. Legg. VII. p. 821 B καταψευ-
δόμεθα — μεγάλων θεῶν. Legg.
III. p. 700 E. De Rep. III. p. 390 D.
ἐξάδειν] Stephan. explicat
extremum canere, cantandi
arte defungi. Rectius Hein-
dorf.: cantando vocem emit-
tere. Mox de forma διγοῖ, pro qua
Gorg. p. 517 D Attice διγοῖ scrip-
tum est, vide Buttman. Gr.
ampl. T. I. p. 489.

καὶ χελιδῶν καὶ ὁ ἔποψ, ἃ δὴ φασὶ διὰ λύπην θρηνοῦντα
ἄδειν· ἀλλ' οὔτε ταῦτά μοι φαίνεται λυπούμενα ἄδειν
οὔτε οἱ κύκνοι. ἀλλ' ἄτε, οἶμαι, τοῦ Ἀπόλλωνος ὄντες B
μαντικοὶ τέ εἰσι καὶ προειδότες τὰ ἐν Ἄιδου ἀγαθὰ ἄδουσι
καὶ τέρπονται ἐκείνην τὴν ἡμέραν διαφερόντως ἢ ἐν τῷ
ἐμπροσθεν χρόνῳ. ἐγὼ δὲ καὶ αὐτὸς ἠγοῦμαι ὁμόδουλός
τε εἶναι τῶν κύκνων καὶ ἱερός τοῦ αὐτοῦ θεοῦ, καὶ οὐ
χείρον ἐκείνων τὴν μαντικὴν ἔχειν παρὰ τοῦ δεσπότου,
οὐδὲ δυσθυμότερον αὐτῶν τοῦ βίου ἀπαλλάττεσθαι. ἀλλὰ
τούτου γε ἔνεκα λέγειν τε χρὴ καὶ ἐρωτᾶν ὅ τι ἂν βού-

χελιδῶν] ἢ χελ. Bekker. ex uno Par. G.

ἃ δὴ φασὶ] V. ὄν, quod e Bodl. Coisl. Tub. Ven. abc Ξ Vind. 1 T Φ
Par. ACGHIL Flor. abc d i m Zitt. Bas. 2 (ἄδη) Stobaeo inde a Fischerio
mutatum.

B. ἄδουσι καὶ] Vulg. ἄδουσι τε καί. Sed τε om. Bodl. Tub.
Vind. T Zitt. et pr. Ven. Ξ II cum Stobaeo. Mox ἐμπροσθεν pro πρό-
σθεν scriptum e Bodl. Coisl. Vat. Ven. Ξ II Tub. Vind. T Φ Par. CIL
Ambr. Flor. b c d i m aliis.

ὁμόδουλός τε] V. γε. Sed τε habent Coisl. Ven. A Ξ Par. ACHIL
Ambr. Aug. Vind. 3 Flor. abc im et edit. Bas. 2. Restituit iam Fischerus.
οὐ χείρον] Herm. de conl. χείρον. Non opus; recte enim dicitur: οὐ
χείρον ἔχω (non sum deterior) τὴν μαντικὴν. Vat. χείρων.

ὅ τι ἂν βούλησθε] Soloece vulgo βούλοισθε, quod emendatum e
Bodl. Tub. Coisl. Ven. A Ξ II Vind. Φ Par. AGL Ambr. August. Flor. a b
c d i m Zitt.

ἃ δὴ φασὶ] Pluralis numerus
requiritur propterea, quod Socrates
non solum ad fabulam de upupa,
sed etiam ad narrationes de ceteris
avibus hic memoratis respicit. Ce-
terum de Tereo, Thraciae rege, in
upupam, de Procne, eius uxore, in
lusciniam, et de Philomela, huius
sorore, in hirundinem mutatis nota
sunt omnia. v. Thucyd. II. 29. Hy-
gin. Fab. 45. Ovid. Metam. VI.
401 sqq. ibique interpp.

B. διαφερόντως ἢ ἐν τῷ
ἐμπρ. χρ.] h. e. magis quam.
Etenim διαφερόντως non solum
genetivum adsciscit, sed etiam cum
ἢ construitur, ut infra p. 95 C ἐκεῖ
ἐν πράξει διαφερόντως ἢ ἐν
ἄλλῳ βίῳ βίου. De Republ. VII.
p. 538 B. Prorsus eodem modo
verbum διαφέρειν particulam ἢ
comitem habet. Phaedr. p. 228 D
οἷς ἔφη διαφέρειν τὰ τοῦ ἐρω-
τός ἢ τὰ τοῦ μῆ. Xen. Anab. III.

4, 33 πολὺν διέφερον — ὁρωμέ-
νους ἀλέξασθαι ἢ πορευομένους
μάχεσθαι. Idem De vectigal. IV.
25. Memorab. III. 11, 14. al.

ἱερός τοῦ θεοῦ] De genetivo
v. Matth. Gr. §. 315. II. 1.

παρὰ τοῦ δεσπότου] ab
Apolline, cuius in potestate se esse
dicit. Respicitur simul ad veterum
Graecorum opinionem, qua morien-
tes credebant futura divinare.

τούτου γε ἔνεκα] h. e. si
res ex eo pendet, si hoc spec-
tatur. v. ad Remp. I. p. 329 B.
Tum advertas verba: ἕως ἂν Ἀθη-
ναίων ἑῶσιν ἄνδρες ἔνδεκα. In
quibus Fischerus et Heindorf-
fius οἱ articulum desiderarunt,
quoniam magistratus undecimviro-
rum intellegatur, ideoque ex uno
codice Augustano ἕως ἂν οἱ Ἀθη-
ναίων ἑῶσιν ἔνδεκα scripserunt.
Atque id ipsum etiam I. Bekkerus
aliquo secuti sunt, qui tamen ἄν-

λησθε, ἕως ἂν Ἀθηναίων ἑώσιν ἄνδρες ἕνδεκα. Καλῶς, C ἔφη, λέγεις, ὁ Σιμμίας· καὶ ἐγὼ τὲ σοι ἐρῶ ὃ ἀπορῶ, καὶ αὐτὸ ὅδε, ἢ οὐκ ἀποδέχεται τὰ εἰρημένα. ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ, ὡς Σώκρατες, περὶ τῶν τοιούτων ἴσως ὥσπερ καὶ σοί, τὸ μὲν σαφὲς εἶδέναι ἐν τῷ νῦν βίῳ ἢ ἀδύνατον εἶναι ἢ παγγάλεπόν τι, τὸ μὲντοι αὐτὰ λεγόμενα περὶ αὐτῶν μὴ οὐχὶ παντὶ τρόπῳ ἐλέγχειν καὶ μὴ προαφίστασθαι, πρὶν ἂν πανταχῆ σκοπῶν ἀπειπῆ τις, πάννυ μαλ-

ἕως ἂν Ἀθηναίων ἑώσιν] Vett. editt. ἕως Ἀθηναίων — ἄνδρες ἕνδεκα. Quam lectionem codd. ita firmant, ut Coisl. Vat. Vind. Φ Par. E GHI Ambr. Flor. a i m ἂν inserant. Praeterea Augustan. of articulum ante Ἀθηναίων addit et ἄνδρες omittit.

C. τὸ μὲντοι αὐτὰ λ.] αὐτὸ om. Coisl. Par. ACEGHIL Ven. A Aug. Flor. a b c d i m et corr. Vat. In Vind. Φ Ambr. est τὸ δὲ τοι αὐτὰ λ. Ven. II habet τὸ δὲ τοιαῦτα λεγόμενα. Mox Steph. μὴ ante προαφίστασθαι temere omisit Cornario obsecutus.

δρες in codd. reliquis omnibus perscriptum servandum censuerunt. Sed habet posterior lectio magnam dubitationem propterea, quod salvis linguae legibus dici non potuit *οἱ ἄνδρες ἕνδεκα* usu postulante omnino *οἱ ἕνδεκα*. Nec vero satis placet altera lectio ex libro Aug. suscepta: *οἱ Ἀθηναίων ἕνδεκα*, in qua offendit interpositum istud *Ἀθηναίων*. Quocirca facile aliquis assentiatur Cobeto Mnemosynes V. p. 384 ἕως ἂν *οἱ ἕνδεκα ἑώσιν* scribendum iudicanti. Verumtamen ea quidem correctio violentior est quam ut verisimilis videatur, praesertim cum ita non perspicitur, unde communis librorum lectio orta sit. Itaque nos quidem consultum duximus codicum premere vestigia atque of articulum etiam ab Hermanniano uncis seclusum rursus abicere, quo omisso omnia videntur recte habere, dummodo meminimus Socratem loqui generatim vel indefinite, ita tamen, ut de undecimviris, penes quos erat cura carceris et suppliciorum, cogitandum sit. Nimirum eleganter ille significat sese iam traditum esse potestati undecimvirorum ex omni Atheniensium numero. Mox quod dicitur ὃ ἀπορῶ, alia huius structurae

exempla collegit Heindorf. ad Cratyl. p. 409 D.

C. ὁ δὲ] Cebes. Deinde ἀποδέχασθαι probandi, assentiendi significatione positum, ut saepe.

καὶ μὴ προαφ.] Haec ab Simmia adiciuntur, ut intellegatur, quid sit *παντὶ τρόπῳ ἐλέγχειν*, quae scita est Fischeri observatio. Itaque non est quod cum Stephano et Forstero μὴ deleamus. Nam *μὴ προαφίστασθαι* in unam notionem coit, ut particulae *μὴ οὐ* etiam ad haec verba referenda sint. Cum autem *μὴ οὐ* ponatur, ubi sententia negativa negatur, sicuti primus perspexit Hermann. Mus. Antiquit. Stud. p. 220, facile intellegitur verba *πάννυ μαλθακοῦ ἄνδρος εἶναι* idem valere quod *ἀνανδρον εἶναι*. Sententia loci haec est: si quis non omni modo rem exploret et non prius desistat, quam fessus sit veri investigatione, id parum virile esse. Ceterum similiter Politic. p. 285 AB *δέον — μὴ προαφίστασθαι, πρὶν ἂν ἐν αὐτῇ τὰς διαφορὰς ἴδῃ πάσας*. — ἀπειπεῖν, ἀπανδᾶν, ἀπαγορεύειν dicuntur ii, qui defatigantur eoque rediguntur, ut negent se amplius ferre aliquid posse, qui despe-

θακοῦ εἶναι ἄνδρος· δεῖν γὰρ περὶ αὐτὰ ἐν γέ τι τούτων διαπράξασθαι, ἢ μαθεῖν ὅπῃ ἔχει ἢ εὐρεῖν, ἢ, εἰ ταῦτα ἀδύνατον, τὸν γοῦν βέλτιστον τῶν ἀνθρωπίνων λόγων λαβόντα καὶ δυσεξελεγκτότατον, ἐπὶ τούτου ὀχούμενον, ὥσπερ ἐπὶ σχεδίας, κινδυνεύοντα διαπλευσάμενον, εἰ μὴ τις δύναιτο ἀσφαλέστερον καὶ ἀκινδυνότερον ἐπὶ βεβαιότερου ὀχήματος ἢ λόγου θείου τινὸς διαπο-

D. ἢ λόγου θείου] Tur. ἢ om. de sententia Heindorffii; v. explicatt.

rant aut diffidunt se aliquid facere posse.

ἢ μαθεῖν ὅπῃ ἔχει ἢ εὐρεῖν] conf. Cratyl. p. 438 A *ἐκ ποίων ὀνομάτων ἢ μεμαθηκῶς ἢ εὐρηκῶς ἢ τὰ πράγματα*; Ibid. p. 439 B *ὄντινα τοίνυν τρόπον δεῖ μάθάνειν ἢ εὐρίσκειν τὰ ὄντα*. Alcib. I. 112 D *οὔτε μάθων φαίνεαι παρ' οὐδενὸς οὔτ' αὐτὸς ἐξευρεῖν*. Lach. p. 186 E *οὔτε γὰρ εὐρετῆς οὔτε μαθητῆς οὐδενὸς περὶ τῶν τοιούτων γεγονέναι*. Phaed. p. 99 C *οὔτ' αὐτὸς εὐρεῖν οὔτε παρ' ἄλλου μαθεῖν οἷός τ' ἐγενόμην*. Menon. p. 86 B C. Legg. XII. p. 968 D. Nimirum significantur hac formula dnae veri rectique adipiscendi viae et rationes, altera discendi, altera quaerendi ac scrutandi. Unde De Rep. X. p. 618 C *τούτου τοῦ μαθήματος καὶ ζητητῆς καὶ μαθητῆς ἔσται, ἐάν ποθεν οἷός τ' ἢ μαθεῖν καὶ ἐξευρεῖν*.

εἰ ταῦτα ἀδύνατον] Hanc syntaxin illustravimus ad Parm. p. 160 A. conf. Matth. Gr. §. 437. ann. 3.

D. διαπλευσάμενον τὸν βίον] Dictionem *διαπλευσάμενον τὸν βίον* ab optimis quibusque scriptoribus frequentatam illustrarunt praeter alios Wesseling. ad Her. V. 6 et Tou p. ad Suid. I. p. 20. Similiter Cic. Tusc. I. 30 *Itaque dubitans, circumspiciens, haesitans, multa adversa reverens, tamquam in rate in mari immenso, nostra vehitur oratio*, ubi v. Davisius.

ἐπὶ βεβαιότερου ὀχήματος ἢ λόγου θείου] Hic quoque

locus interpretes multum vexavit, usque dum ei C. F. Hermannii doctrina et ingenium lucem attulit. Is enim in Comment. De magistris Socratis p. 37, De Menone p. VIII et in libro: Abhandl. u. Beitr. p. 82 scite observavit *θεῖον λόγον* non esse alium, quam qui divino beneficio atque *θεῖα μοῖρα* hominibus obtingat. Itaque intellegitur *δόξα ὀρθή*, quam Platonem constat ita tribuisse mortalibus, ut eam totam a *θεῖα μοῖρα* repeteret. Quod qua ratione ita statuerit et iudicaverit, copiosius exprōsimus in Comment. De gradibus virtutum secundum Platonem. Lipsiae 1844. p. 19 sqq. Enimvero ut paucis dicamus, quod res est, praeter veri scientiam, *ἐπιστήμην*, certis et exploratis philosophiae rationibus confirmatam, quae unis sapientibus esset propria, philosophus statuit etiam rectam opinionem (*δόξαν ὀρθήν*), quae etiamsi non illius constantiam et firmitatem haberet, tamen proxime ad eius laudem accederet et in rebus humanis saepe longe esset utilissima. Eam autem voluit homini divina quasi sorte, *θεῖα μοῖρα*, obtingere, quoniam non aliunde proficisceretur quam a praestanti quadam naturae indole et ingenii felicitate, qua quis tamquam inscius ad verum rectumque deferretur. Quam quidem *εὐδοξίαν*, h. e. recte opinandi feliciterque divinandi facultatem, praeclare descripsit in Menone p. 94 E — 96 D sqq. atque claris verbis ibidem p. 100 B *θεῖα μοῖρα* attribuit. Rectam opinionem vero etiam alibi illustravit, veluti

ρευθῆναι. καὶ δὴ καὶ νῦν ἔγωγε οὐκ ἐπαισχυνθήσομαι ἐρέσθαι, ἐπειδὴ καὶ σὺ ταῦτα λέγεις, οὐδὲ ἑμῶν ἀτιμάσομαι ἐν ὑστέρω χρόνῳ, ὅτι νῦν οὐκ εἶπον ἃ ἔμοι δοκεῖ. ἔμοι γάρ, ὦ Σώκρατες, ἐπειδὴ καὶ πρὸς ἑμῶν καὶ πρὸς τόνδε σκοπῶ, τὰ εἰρημένα οὐ πάνυ φαίνεται ἱκανῶς εἰρησθαι.

E Cap. XXXVI. Καὶ ὁ Σωκράτης, ἴσως γάρ, ἔφη, ὦ ἑταῖρε, ἀληθῆ σοι φαίνεται· ἀλλὰ λέγε, ὅπῃ δὴ οὐκ ἱκα-

ἃ ἔμοι δοκεῖ] V. μοι invitis Bodl. Tub. Ven. ΞII Vind. T. Deinde Aug. ἔμοι μὲν γὰρ probante Heindorfio.

De Rep. V. p. 479 BC. 476 D sqq. Symp. 202 A, ubi v. annot. Quocirca θεῖος esse et θεῖα μοῖρα aliquid facere iudicavit subinde eos, qui singulari quadam praediti ingenii felicitate veluti coeco quodam mentis animique instinctu sponte reperirent et assequerentur, quod verum, rectum ac laudabile esset; v. Ion. p. 534 A—C. 536 D. Apolog. p. 22 A. Men. p. 99 C—E. al. Atque similiter etiam ea, quae isto modo hominibus obtingerent, et θεῖα dixit et θεῖα μοῖρα iis tributa iudicavit. Unde memoratur θεῖα φύσις De Rep. II. p. 366 C. VI. p. 493 A coll. 492 A et 499 B et τῆς θεῖας μοῖρας saepius eo nomine mentio fit Phaedr. p. 244 C. Prot. p. 322 A. Apol. p. 33 C. Quibus ita expositis sponte intellectum iri existimamus, hoc loco quinam dicatur θεῖος λόγος. Est enim ratio divina quadam naturae praestantia ac felicitate inventa sive recta opinio, in quam quis vel sine philosophiae studio mera mentis animique bonitate devenerit quaque commode uti possit ad vitam bene tranquilleque degendam. Quod ubi ita statuerimus, universus locus continuo erit ad intellegendum facillimus, quandoquidem Simmias ex Socratis sive Platonis mente loquitur, ut ipse indicavit verbis: ὥσπερ καὶ σοί (C) et ἐπειδὴ καὶ σὺ ταῦτα λέγεις (D). Etenim βεβαιότερον ὄχημα manifestum est pertinere ad veritatis scientiam, quam philosophus ἐπιστήμην vocavit;

θεῖος λόγος autem est inter τοὺς ἀνθρωπίνους λόγους, h. e. rationes, quas vulgo sequuntur homines, etiamsi non ad certae explorataeque veritatis rationem studio sapientiae partam pervenerint. Itaque sententia verborum denique huc redit: oportere, si fieri non possit, ut quis veram noscat aut exquirat rationem, certe quidem optimam humanarum rationum accipere eaque tamquam rate aliqua fretum conari per vitae pelagus navigare, nisi quis possit tutius id facere in firmiore vehens vehiculo (veri scientia et cognitione) quam recta aliqua opinione divinitus quasi suscepta adiutus ac sustentatus. Ceterum patet istis: εἰ μὴ τις δύναται etc. iterari atque explicari quod antecessit: εἰ ταῦτα ἀδύνατον, ita quidem, ut verbis ἢ λόγου θεῖον etiam apodosis sententia repetatur. Repetitā igitur hic quoque protasis enuntiati hypothetici est, de qua loquendi ratione ad p. 67 E exposuimus. Quod si recte ita statuitur, certe apertum est λόγον θεῖον non esse alium, quam qui antea dictus est βέλτιστος τῶν ἀνθρωπίνων λόγων frustra quoque nuper extitisse qui interpretationi verborum propositae adversarentur.

πρὸς ἑμῶν καὶ πρὸς τόνδε σκοπῶ] h. e. quando et mecum haec animo reputo et cum hoc una considero.

νῶς. Ταύτη ἔμοιγε, ἢ δ' ὅς, ἢ δὴ καὶ περὶ ἀρμονίας ἂν τις καὶ λύρας τε καὶ χορδῶν τὸν αὐτὸν τοῦτον λόγον εἴποι, ὡς ἢ μὲν ἀρμονία ἀόρατόν τι καὶ ἀσώματον καὶ πάγκαλόν τι καὶ θεῖόν ἐστιν ἐν τῇ ἡρμοσμένη λύρα, αὐτὴ δ' ἢ λύρα καὶ αἱ χορδαὶ σώματά τε καὶ σωματοειδῆ 86 καὶ ξύνθετα καὶ γεώδη ἐστὶ καὶ τοῦ θνητοῦ ξυγγενῆ. ἐπειδὴ οὖν ἢ κατάξῃ τις τὴν λύραν ἢ διατέμῃ ἢ καὶ διαρόξῃ τὰς χορδὰς, εἴ τις δισχυρίζοιτο τῷ αὐτῷ λόγῳ, ὥσπερ σὺ, ὡς ἀνάγκη εἶναι τὴν ἀρμονίαν ἐκείνην

Cap. XXXVI. E. ἢ δὴ καὶ] Libri ἡδη. Correxerunt Forsterus,

ἀόρατόν τι] τι om. Coisl. Ven. A Par. CEHIL Aug. Flor. ab eim. Bekkerus alterum illud τι post πάγκαλον illatum uncis seclusit tamquam suspectum. Sed repetitio voculae eo defendi potest, quod duo discernuntur praedicatorum genera, ἀόρατον καὶ ἀσώματον et πάγκαλον καὶ θεῖον. p. 93 A οὐδὲ μὴν ποιεῖν τι οὐδέ τι πάσχειν. p. 103 D ἔτερόν τι πρὸς τὸ θερόν καὶ ἕτερόν τι χιόνος τὸ ψυχρόν.

P. 86. σώματα] V. σώμα. Pluralem suppeditarunt Bodl. Vat. Tub. Ven. ΞII Vind. 1 2 4 5 6 Flor. d Par. G Ambr. al. et editt. Bass.

ξύνθετα καὶ] V. ξύνθετά τε καὶ. Sed tm. τε Bodl. Tub. Ven. II Vind. Φ Flor. d Zitt. Aug. alii cum ed. Bas. 2. Deinceps vett. editt. καὶ ἐστὶ pro ἐστὶ καὶ, quod libri plurimi atque optimi confirmant.

κατάξῃ] Vat. pr. κατατάξῃ. Vat. ex corr. κατέαξῃ, de qua forma v. Taylor. ad Lys. p. 156 et Heindorf. ad h. l. Dein vett. editt. διατέμῃ καὶ διαρόξῃ, quod e Ven. II praeeunte Bekkero mutavimus. In Coisl. Ven. A Vind. Φ Par. CEGHL Ambr. Aug. Flor. b c d m scriptum exstat διατέμῃ ἢ διαρόξ. omisso καὶ. Herm. cum Bodl. vulgatam tuetur.

Cap. XXXVI. E. ἢ δὴ καὶ περὶ ἀρμ.] h. e. quatenus quis idem illud etiam de lyra — dicere possit.

ἡρμοσμένη λύρα] est lyra modulata, eine gestimmte Lyra.

P. 86. ἐπειδὴ οὖν ἢ κατάξῃ —] Haec usque ad verba πρὶν τι ἐκείνην παθεῖν protasin continent, cuius apodosis etsi reticetur, tamen inferius ad sensum subiicitur inde a verbis ὅρα οὖν πρὸς τοῦτον τὸν λόγον κ. τ. λ. ita quidem, ut etiam verborum: καὶ γὰρ οὖν, ὦ Σώκρατες — ἢ κατακυνθῆ ἢ κατασαπῆ per liberio-rem quandam orationis conformationem et quasi παρενθέτως interiectorum ratio ducatur.

τῷ αὐτῷ λόγῳ, ὥσπερ σὺ] Cave cum Forstero et Fischero

PLAT. PHAED.

ἄπειρα scribendum opineris. Priscian. XVIII. p. 1195 „Demosthenes ἐν τῷ πρώτῳ Φιλιππικῷ, μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον ὥσπερ οἱ διαζόμενοι, ἀντὶ τοῦ ὄνπερ.“ Plat. Legg. II. p. 671 C τοῦτον δ' εἶναι τὸν πλάστην τὸν αὐτὸν, ὥσπερ τότε. Lysid. p. 209 C τῷ γείτονι ἀρ' οὐχ ὁ αὐτὸς ὄρος, ὥσπερ τῷ πατρὶ; Xen. An. I. 10, 10 καὶ δὴ βασιλεὺς — εἰς τὸ αὐτὸ σχῆμα κατέστησεν ἐναντίαν τὴν φάλαγγα, ὥσπερ τὸ πρῶτον μαχομένους συνῆει. Cf. Heindorf. ad h. l. Lobeck. ad Phryn. p. 426 sq. Reisig. ad Soph. Oed. C. 903 et Bremi. ad Dem. de Chers. p. 93. 15 R. Appar. critic. et exeg. a Schaefero instr. T. I. p. 498. Eodem modo positum etiam καθ' ἄπειρα Legg. IX. p. 869 D, ubi v. annot.

καὶ μὴ ἀπολωλέναι — οὐδεμία γὰρ μηχανὴ ἂν εἴη τὴν μὲν λύραν ἐτι εἶναι διεφθωγυῶν τῶν χορδῶν καὶ τὰς χορδὰς θνητοειδεῖς οὕσας, τὴν δὲ ἀρμονίαν ἀπολωλέναι B τὴν τοῦ θείου τε καὶ ἀθανάτου ὁμοφυῆ τε καὶ ξυγγενῆ, προτέραν τοῦ θνητοῦ ἀπολομένην —, ἀλλὰ φαίη, ὡς ἀνάγκη ἐτι πον εἶναι αὐτὴν τὴν ἀρμονίαν, καὶ πρότερον τὰ ξύλα τε καὶ τὰς χορδὰς κατασαπήσεσθαι, πρὶν τι ἐκείνην παθεῖν· καὶ γὰρ οὖν, ὧς Σώκρατες, οἶμαι ἔγωγε καὶ αὐτόν σε τοῦτο ἐντεθυμῆσθαι, ὅτι τοιοῦτόν τι μά-

ἂν εἴη] Bekkerus ἂν uncis inclusit. v. ann.

ὁμοφυῆ] Par. C Flor. a e m et corr. Vind. Φ ὁμοφυᾶ. conf. ann. crit. ad p. 89 D.

B. φαίη, ὡς ἀνάγκη] ὡς additum e Vat. Par. C Ven. II Flor. e d m. Vulgo erat: φαίη· ἀνάγκη ἐτι πον κ. τ. λ., quae transitio ad rectam orationem merito displicuit. Turicenses et Herm. ὡς omisso de coniectura Baileri scripserunt φαίη ἀνάγκη ἐτι.

ξύλα τε καὶ] particulam τε omissam vulgo recepi ex Vat. Ven. II Vind. T Φ Par. G Ambr. Flor. d Zitt. In Bodl. τε superscriptum. τοιοῦτόν τι] Sic codd. plerique omnes pro vulg. τοιοῦτό τι.

οὐδεμία γὰρ μηχανὴ ἂν εἴη —] Haec si pertinent ad orationem obliquam, ἂν cum I. Bekkerō delendam est. Sic enim Philob. p. 58 A ἤκουον — Γοργίου πολλάνις, ὡς ἡ τοῦ πείθειν δύναμις πολὺ διαφέρει πασῶν τεχνῶν· πάντα γὰρ ὑφ' αὐτῆ δουλά — ποιοῦτο, ubi v. quae annotavimus. Schaefer. Appar. ad Dem. I. p. 216. Verum ut cautius de hac re statuamus, codd. manu scriptorum consensus suadet. Suadent etiam talia, qualia leguntur infra p. 87 E ἀναγκαῖον μὲντ' ἂν εἴη — προτέραν ἀπόλλυσθαι ἀπολομένης δὲ τῆς ψυχῆς τότε ἤδη τὴν φύσιν τῆς ἀσθενείας ἐπιδεικνύοι τὸ σῶμα. De Legg. IV. p. 719 B σμικρῶ δὴ πρόσθεν ἄρα οὐκ ἠκούσαμεν σου λέγοντος, ὡς τὸν νομοθέτην οὐ δεῖ τοῖς ποιηταῖς ἐπιτρέπειν ποιεῖν ὃ ἂν αὐτοῖς ἢ φίλον; οὐ γὰρ ἂν εἶδειεν τί ποτ' ἐναντιὸν τοῖς νόμοις ἂν λέγοντες βλάπτειν τὴν πόλιν. Videlicet talium locorum sententia est ὑποθετικῶς accipienda, ita ut locum habere putetur rectae atque obliquae orationis tamquam permixtio quaedam, quam nec Plato-

nem refugisse certissimis constat rei exemplis, qualia in hoc ipso libro exstant complura, ut p. 95 D. 87 E. p. 90 B. v. etiam ad Sympos. p. 210 B. Quocirca h. l. Simmias existimandus est verba: οὐδεμία γὰρ μηχανὴ ἂν εἴη — πρὶν τι ἐκείνην παθεῖν per parenthesis de suo adiacere, quo sententia alterius clarius illustretur. Ceterum Stephanus cur pro γὰρ desideraverit γε, causam nullam videmus.

B. ἀλλὰ φαίη, ὡς ἀνάγκη —] Liberiore usus est orationis forma. Nam ἀλλὰ dicitur quasi praecessisset εἴ τις ἀροῖτο μὴ ἀπολωλέναι. Etenim haec quoque cum εἴ τις cohaerent. Quocirca non opus est coniectura Heindorfii, qui ex scriptura cod. Augustani: ἀλλὰ φαίη ἂν τις, ἐτι πον εἶναι eruit hanc lectionem: ἀλλὰ, φαίη ἂν τις, ἀνάγκη ἐτι πον, ut iam hinc deflectere incipiat sermo ab instituta ratione liberiusque vagari, donec infra inde a verbis ὅρα οὖν in ordinem quasi revocetur.

τοῦτο ἐντεθυμῆσθαι] h. e. tecum reputasse, ita ut in animo tuo quasi resideathuius rei cogitatio. Quod moneo

πῶστα ὑπολαμβάνομεν τὴν ψυχὴν εἶναι, ὥσπερ ἐντεταμένον τοῦ σώματος ἡμῶν καὶ ξυνεχομένου ὑπὸ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ καὶ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ καὶ τοιούτων τινῶν, κρασιν εἶναι καὶ ἀρμονίαν αὐτῶν τούτων τὴν ψυχὴν C ἡμῶν, ἐπειδὴν ταῦτα καλῶς καὶ μετρίως κραθῆ πρός ἀλληλα. εἰ οὖν τυγχάνει ἡ ψυχὴ οὕσα ἀρμονία τις, δῆλον ὅτι, ὅταν χαλασθῆ τὸ σῶμα ἡμῶν ἀμέτρως ἢ ἐπιταθῆ ὑπὸ νόσων καὶ ἄλλων κακῶν, τὴν μὲν ψυχὴν ἀνάγκη εὐθύς ὑπάρχει ἀπολωλέναι, καίπερ οὕσαν θειοτάτην, ὥσπερ καὶ αἱ ἄλλαι ἀρμονίαι αἰ τ' ἐν τοῖς φθόγγοις καὶ αἱ ἐν τοῖς τῶν δημιουργῶν ἔργοις πᾶσι, τὰ δὲ λείψανα τοῦ σώματος ἐκάστου πολὺν χρόνον παραμένειν, ἕως ἂν ἢ κατακαυθῆ ἢ κατασαπῆ. ὅρα οὖν πρὸς τοῦ—D

C. εἰ οὖν τυγχάνει] Sic Bodl. Coisl. Vat. Tub. Ven. II Vind. T Par. GHFL Aug. Florentini sex Zitt. al. Legebatur τυγχάνει.

ἐπιταθῆ] ὑποταθῆ Bodl. Coisl. Ven. II Vind. T Par. G Aug.

ὑπάρχει] Plurimi libri cum Bodl. ὑπάρχειν. Quod si verum est, ex corr. Ven. A ἀνάγκην scribendum. Sed vera est lectio vulgata.

καὶ αἱ ἐν τοῖς] Vulgo καὶ ἐν τ. Sed iterato articulo Bodl. Vat. Vind. T Ven. II Flor. d Zitt., quorum auctoritati parendum fuit. Vide tamen infra.

ideo, quia Fischerum video ἐνθυμῆσθαι coniecisse.

ὥσπερ ἐντεταμένον — καὶ ὑγροῦ] Explicant haec usque ad τὴν ψυχὴν ἡμῶν praegressum illud τοιοῦτόν τι. Ceterum nemo non videt Simmiam hanc sententiam ita commemorare, ut eam appareat fuisse tum admodum pervulgatam. De eius patronis ac defensoribus disputavit ad h. l. Wyttenbach., qui illam docte demonstrat Parmenidi, Zenoni Eleatae, Dicaearcho, Aristoxeno, aliis placuisse. Arist. De anima 4. Metaph. IV. 5. Diog. Laert. IX. 29. Nemes. De nat. hom. p. 41. Macrob. in Somn. Scip. I. 14. Cic. Tusc. I. 10. Acad. II. 39. Lucret. III. 98—105 ibique interpp. Hoc loco quod eam profert homo Pythagoricae doctrinae non ignarus eamque etiam Echecrati Pythagoreo p. 88 D probat, videtur isto pacto notari falsa sapientia quorundam Pythagoreorum, qui, sicuti postea fecit Aristo-

xenus (Cic. Tusc. I. 10), ad materialismum prolapsi essent.

C. αἰ τ' ἐν τοῖς φθόγγοις καὶ αἱ ἐν τοῖς] Bene novimus etiam dici potuisse καὶ ἐν τοῖς τῶν δ. articulo αἰ non iterato. Nam in dictionibus ex articulo et nominibus conflatis τε per hyperbaton adhaerescit saepe articulo, quoniam in talibus nihil refert, cuinam vocabulo adiungatur utpote unum quasi corpus efficientibus. Hipp. mai. p. 283 A σοφίας τῆς τε σαυτοῦ καὶ τῶν νῦν ἀνθρώπων, h. e. τῆς σαυτοῦ τε καὶ τῶν νῦν ἀνθρ. Her. VII. 106 οἱ τε ἐκ Θρητικής καὶ τοῦ Ἑλλησπόντου. Xen. An. II. 2, 8 οἱ τε Ἕλληνες καὶ Ἀρδιαῖος. Ibid. II. 3, 3 τοὺς τ' ἐνοπλοτάτους ἔχων καὶ εὐειδεστάτους. Sed simili voculae collocatione apud nomen praepositioni iunctum v. ad Criton. p. 43 B. Sed obsequendum melioribus codd. duximus articulum αἰ iterantibus, praesertim cum etiam ἐν repetitum sit.

του τὸν λόγον τί φήσομεν, εἴαν τις ἀξιοῖ κράσιν οὕσαν τὴν ψυχὴν τῶν ἐν τῷ σώματι ἐν τῷ καλουμένῳ θανάτῳ πρῶτην ἀπόλλυσθαι.

Cap. XXXVII. Διαβλέψας οὖν ὁ Σωκράτης, ὡς περ τὰ πολλὰ εἰώθει, καὶ μειδιάσας, Δίκαία μέντοι, ἔφη, λέγει ὁ Σιμμίας. εἰ οὖν τις ὑμῶν εὐπορώτερος ἐμοῦ, τί οὐκ ἀπεκρίνατο; καὶ γὰρ οὐ φαύλως ἔοικεν ἀπτομένῳ τοῦ λόγου. δοκεῖ μέντοι μοι χρῆναι πρὸ τῆς ἀποκρίσεως ἔτι πρότερον Κέβητος ἀκούσαι, τί αὐτῷ ὅδε ἐγκαλεῖ τῷ λόγῳ, ἵνα χρόνου ἐγγενομένου βουλευσάμεθα τί ἐροῦμεν, ἔπειτα ἀκούσαντας ἢ ξυγγωρεῖν αὐτοῖς, εἴαν τι δοκῶσι προσάδειν· εἴαν δὲ μή, οὕτως ἤδη ὑπερδικεῖν τοῦ

Cap. XXXVII. D. Διαβλέψας] Vett. editt. διαβλεψάμενος invitis Bodl. Coisl. Ven. Ξ A II Tub. Aug. Ven. 2 3 Par. CEHIL Flor. a b c d i m. Vulgatum Bodl. in marg. adscriptum habet.

ὁ Σιμμίας] Articulum praebuerunt Bodl. Ven. Ξ II Vind. T Φ Par. G Tub. Flor. d Zitt.

E. ἔπειτα ἀκούσαντας] V. assentiente Herm. ἔπειτα δὲ ἀκ., sed δὲ ignorant Coisl. Vat. Ven. A II Vind. Φ Par. EGHIL Ambr. Aug. Flor. a b c d i. conf. annot.

Cap. XXXVII. D. Δίκαία μέντοι] In his μέντοι, ut Lat. vero, affirmandi potestatem habet, ut p. 68 B. p. 73 D. p. 81 D. Soph. p. 245 B. Arist. Equ. 168. Xen. Cyr. I. 4, 19.

τί οὐκ ἀπεκρίνατο;] h. e. is quantocius respondeat. Bene Weiskins ad Xen. Cyr. II. 1, 4 haec, inquit, interrogatio alacritatem quandam animi et aviditatem sciendi exprimit. v. ad Phileb. p. 54 B.

οὐ φαύλως ἔοικεν ἀπτομένῳ τοῦ λόγου] h. e. non male videtur meam disputationem reprehendere et impugnare. Sequuntur enim verba: τί αὐτῷ ὅδε ἐγκαλεῖ τῷ λόγῳ. Sic ἀπτεσθῆναι positum Phil. p. 14 D μὴ δεῖ τῶν τοιούτων ἀπτεσθῆναι. — ἔοικε cum dat. participii iunctum ad Remp. VII. p. 527 D illustrativum.

E. ἔπειτα ἀκούσαντας] Vett. editt. ἔπειτα δέ. Sed solet

ita post εἶτα et ἔπειτα omitti δὲ particula, etiamsi praecesserit πρῶτον μέν. Cuius rei exempla Heindorfius ad h. l. attulit. Praeterea notandum est anacoluthon. Nam cum antea dictum sit: ἢ ξυγγωρεῖν, nunc legitimo sermone sequi oportebat: ἢ ὑπερδικεῖν τοῦ λόγου, κ. τ. λ. Sed pro ἢ cum repente inferatur εἴαν δὲ μή, tota orationis conformatio alia exstitit atque expectabatur. Omittit ἢ cod. Coisl.

εἴαν τι δοκῶσι προσάδειν] h. e. si quid dicere videbuntur, quod consonum sit neque absurdum, h. e. si quid veri dicere videbuntur. Utitur enim Socrates hoc verbo pro λέγειν τι propterea, quod agit de harmonia. Similiter p. 92 C ludit in verbis: οὗτος οὖν σοι ὁ λόγος ἐκείνῳ πῶς ξυγγασεται; καὶ μὴν — πρέπει γε, εἴπερ τῷ ἄλλῳ λόγῳ, ξυνωδῶ εἶναι καὶ τῷ περὶ ἀρμονίας.

ὑπερδικεῖν τοῦ λόγου] nostram rationem defendere ac tueri.

λόγου. ἀλλ' ἄγε, ἢ δ' ὅς, ᾧ Κέβης, λέγε, τί ἦν ὃ σὲ αὐτῷ θράττον ἀπιστίαν παρέχει. Λέγω δὴ, ἢ δ' ὅς. ὁ Κέβης. ἐμοὶ γὰρ φαίνεται ἔτι ἐν τῷ αὐτῷ ὁ λόγος εἶναι, καί, ὅπερ ἐν τοῖς ἐμπροσθεν ἐλέγομεν, ταύτῳ ἐγκλημα ἔχειν· ὅτι μὲν γὰρ ἦν ἡμῶν ἢ ψυχὴ καὶ πρὶν εἰς τόδε ⁸⁷ τὸ εἶδος ἐλθεῖν, οὐκ ἀνατίθεμαι μὴ οὐχὶ πάνυ χαριέντως καί, εἰ μὴ ἐπαχθὲς ἐστὶν εἰπεῖν, πάνυ ἱκανῶς ἀποδειχθῆναι· ὡς δὲ καὶ ἀποθανόντων ἡμῶν ἔτι που ἔσται, οὐ μοι δοκεῖ τῆδε. ὡς μὲν οὐκ ἰσχυρότερον καὶ πολυχρονιώτερον ψυχὴ σώματος, οὐ ξυγγωρεῖ τῇ Σιμμίου ἀντιλήψει· δοκεῖ γὰρ μοι πᾶσι τούτοις πάνυ πολὺ διαφέρειν.

ἀλλ' ἄγε] V. ἀλλά γε, quod Forster. Fischer. et postremo Bekker. ex August. Vat. et Ven. II emendarunt.

τί ἦν ὃ σὲ] V. τί ἦν τὸ σέ, quod ex Aug. Par. L et Ven. II emendatum. Verum iam Stephan. coniectura assecutus erat. Antiquum revocavit Herm., qui verba ἀπιστίαν παρέχει uncis seclusit.

Λέγω δὴ] V. δέ invitis libris paene omnibus.

P. 87. ἀνατίθεμαι] Libri omnes ἀντιτίθεμαι. Verum debemus Turnebo et confirmat Olympiodorus.

ἔτι που ἔσται] ἔσται pro vulg. ἔστιν Bodl. Vat. Tub. Flor. d i Par. G Ambr. conf. p. 77 BC. Praesens tamen tempus legitur mox p. 87 E

ὡς μὲν] Steph. coni. ὡς μέντοι. Sed nihil offensionis habet hoc asyndeton, in quo explicando nuper frustra laborarunt Astius, Herm. Schmidt, alii; nec libri a vulgata lectione recedunt. v. ann.

ἐν τῷ αὐτῷ ὁ λ. εἶναι] eodem loco esse, h. e. iisdem, quibus antea, dubitationibus laborare. — De proximis cf. Phileb. p. 22 C οὐδὲ γὰρ ὁ σὸς νοῦς, ᾧ Σώκρατες, ἔστι τάχαθόν, ἀλλ' ἔξει που ταύτῃ ἐγκλήματα.

P. 87. εἰς τόδε τὸ εἶδος] h. e. in corpus humanum. Nam pronomem τόδε idem est quod ἀνθρώπινον, quod p. 76 C additum erat nomini εἶδος.

οὐκ ἀνατίθεμαι] non retracto. „Verbum, monente Suida, frequens Platoni in significanda mutatione sententiae aut propositi: v. c. Menone p. 89 D. Protagora p. 354 E. Charmid. p. 164 C. Gorg. p. 461 D translatum a πεττῶν, calculorum, ludo, annotavit quoque Harpocration, ubi videatur H. Valesius p. 89: et Ernestus ad Xen. Mem. II. 4, 4. WYTTENB. De constructione v. ad Gorg. p. 493 C. Matth. ad Eur. Orest. 244. De-

inde χαριέντως est scite, eleganter.

εἰ μὴ ἐπαχθὲς] nisi dictu molestum et grave sit. Nam ἐπαχθὲς saepe dicitur de nimia et intempestiva sui aliorumve laudatione, quae ipsi iis, ad quos pertinet, molesta accidit; ut Legg. III. p. 688 D. Charm. p. 158 D. Plura Wyttenbach. ad h. l. ea de re dissernit.

τῆδε] sc. ἱκανῶς ἀποδειχθῆναι.

ὡς μὲν οὐκ ἰσχυρότερον—] In his μὲν ponitur, quia oratoris menti observatum est iam hoc: ὅτι δὲ ἀνώλεθρόν ἐστι καὶ ἀθάνατον, οὐκέτι συγγωρεῖ. Quae tamen sententia inde a verbis: τί οὖν ἀνφαίη κ. τ. λ. aliter declaratur. Itaque μὲν explicationem ex asyndeto habet. In asyndeto hoc ne quis haereat, de sententiis explicativis a μὲν vel μέν γε sine γὰρ exordientibus paullo ante ad p. 80 C expo-

τί οὖν ἂν φαίη ὁ λόγος ἔτι ἀπιστεῖς, ἐπειδὴ γε ὄρας ἀποθανόντος τοῦ ἀνθρώπου τό γε ἀσθενέστερον ἔτι ὄν; B τὸ δὲ πολυχρονιώτερον οὐ δοκεῖ σοι ἀναγκαῖον εἶναι ἔτι σῶζεσθαι ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ; πρὸς δὴ τοῦτο τόδε ἐπίσπεσαι, εἴ τι λέγω· εἰκόνομος γάρ τινος, ὡς ἔοικε, κἀγαθὸς ὡςπερ Σιμμίας δέομαι. ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ ὁμοίως λέγεσθαι ταῦτα, ὡςπερ ἂν τις περὶ ἀνθρώπου ὑφάντου πρεσβύτου ἀποθανόντος λέγοι τοῦτον τὸν λόγον, ὅτι οὐκ ἀπόλωλεν ὁ ἀνθρώπος; ἀλλ' ἔστι που ἴσως, τεκμήριον δὲ παρέχοιτο θοιμάτιον, ὃ ἠμπείχετο αὐτὸς ὑφηνάμενος, ὅτι ἔστι σῶν καὶ οὐκ ἀπόλωλε, καὶ εἴ τις ἀπιστῶν αὐτῷ, C ἀνερωτῆ, πότερον πολυχρονιώτερον ἔστι τὸ γένος ἀνθρώπου ἢ ἱματίου ἐν χρεῖα τε ὄντος καὶ φορουμένου, ἀποκριναμένου δὲ τινος, ὅτι πολὺ τὸ τοῦ ἀνθρώπου, οἴοιτο ἀποδεδείχθαι, ὅτι παντὸς ἄρα μᾶλλον ὃ γε ἂν-

B. ἠμπείχετο] Sic Bodl. Vat. Ven. ΞII Vind. PΦ sex Vindobonn. Flor. a b c Par. G et corr. Ven. A. Vett. editt. ἠμπέσχετο, quod in Bodl. supra versum et in Vat. margini adscriptum. Elmsleius ad Eur. Med. 1128 suspicatur aut ἠμπέσχετο aut ἠμπέσχετο legi oportere. Contrarium statuit Buttmanus Gr. Ampl. T. II. p. 190.

καὶ εἴ τις ἀπιστῶν αὐτῷ] Libri omnes ἀπιστῶν, quod Heindorfius in ἀπιστοίη mutavit, in quam rationem incidit etiam Dobraeus Adversar. T. I. p. 151. Bekkerus scripsit ἀπιστοῖ, quod alii quoque probant. Sed v. Thomas Magist. p. 151 ed. Schaeff., secundum quem εἴ τις ἀπιστῶν est idem, quod ἀπιστοῦντός τινος, et Hermann. ad Aesch. Agam. 404. Dein ἀνερωτῆ Bodl. Vat. Ven. ΞII Tub. alii multi pro vulg. ἀνερωτῶ. Denique pro ἀποκριναμένου δὴ ex uno Par. G δὲ scripsimus praeunte Heindorfio et Bekkero.

C. ἀνθρώπου ἢ ἱματίου] τοῦ ante ἀνθρ. interponunt Coisl. Par. H Ven. A, ante ἱματίου item Ven. A.

suum, quibus inspectis certe nemo hic amplius de singulari quodam usu vocabuli μέν somniabit.

τί οὖν ἂν φαίη ὁ λόγος ἔτι ἀπιστεῖς] De collocatione ἂν particulae v. ad Criton. p. 52 D et quae ad h. l. collegit Heindorf., qui tamen attulit etiam ea, quae non videntur huc pertinere. v. Erfurdt. ad Soph. Oed. T. 929. Interpunctionem in talibus locis intolerabilem tollendam iudicavimus.

B. ὡςπερ ἂν τις περὶ ἀνθρ.] Scribendum alicui videatur ὡςπερ ἂν εἴ τις π. Sed recte omititur εἴ, cum verba sic interpretanda sint: quemadmodum quis

de sene textore mortuo dicere possit, quod patet sine hypothesis dici rectissime. Sed pluribus rem exposuimus ad Apolog. p. 23 B.

ἀλλ' ἔστι που ἴσως] Fischerus et Hermann. de Forsteri coniectura ἀλλ' ἔστι που σῶς. Nimirum in fraudem inducti sunt viri optimi vitio admodum pusillo. Legebatur enim vulgo ἀλλ' ἔστι που ἴσως. Recte Ficinus: sed forte alicubi superesse. Eodem modo infra p. 87 E ὡς ἔτι που ἡμῶν ἢ ψυχῆ ἔστιν atque Dem. pro Phorm. p. 953; 17 Τιμοδήμῳ τῷ νῦν ἔτ' ὄντι καὶ ζῶντι. Et sic

ἄσθετος σῶς ἔστιν, ἐπειδὴ τό γε ὀλιγοχρονιώτερον οὐκ ἀπόλωλε. τὸ δ', οἶμαι, ᾧ Σιμμία, οὐχ οὕτως ἔχει· σκόπει γὰρ καὶ σὺ ἂ λέγω· πᾶς ἂν ὑπολάβοι, ὅτι εὐηθῆς λέγει ὁ τοῦτο λέγων· ὁ γὰρ ὑφάντης οὗτος πολλὰ κατατρίψας τοιαῦτα ἱμάτια καὶ ὑφηνάμενος ἐκείνων μὲν ὕστερος ἀπόλωλε πολλῶν ὄντων, τοῦ δὲ τελευταίου, οἶμαι, D πρότερος, καὶ οὐδὲν τι μᾶλλον τούτου ἕνεκα ἀνθρωπός ἐστιν ἱματίου φανλότερον, οὐδ' ἀσθενέστερον. τὴν αὐτὴν δὲ ταύτην, οἶμαι, εἰκόνα δέξαιτ' ἂν ψυχῆ πρὸς σῶμα, καὶ τις λέγων αὐτὰ ταῦτα περὶ αὐτῶν μέτρι' ἂν μοι φαίνοιτο λέγειν, ὡς ἢ μὲν ψυχῆ πολυχρονιόν ἐστι, τὸ δὲ σῶμα ἀσθενέστερον καὶ ὀλιγοχρονιώτερον. ἀλλὰ γὰρ ἂν φαίη ἐκάστην τῶν ψυχῶν πολλὰ σώματα κατατρίβειν,

ἐπειδὴ τό γε] γε vulgo omissum libri fere omnes reddiderunt.

πᾶς ἂν] γὰρ in editt. omnibus post πᾶς interpositum om. Coisl. Vat. Tub. Vind. Φ Par. CEHIL Ambr. Aug. Flor. a b c d i m et a pr. m. Ven. II. Eieci, cum videatur esse supplementum grammaticorum asyndeti elegantiam non percipientium. Tenuerunt verò nuperi editores.

D. τὴν αὐτὴν δὲ ταύτην] δὲ vulgo omissum e Bodl. Coisl. Vat. Tub. Ven. AII Aug. Flor. a b c d i m Par. CEGHIL Ambr. al. restitutum est. ταύτην om. Bodl. Ven. II Tub. Dein vett. editt. ἢ ψυχῆ πρὸς σῶμα. Articulum unus fere Ven. Ξ tuetur, plerique omnes recte omittunt; sequitur enim πρὸς σῶμα.

μέτρι' ἂν μοι] V. μέτρια μοι, quod emendatum e Bodl. Coisl. Vat. Tub. Ven. ΞII et plerisque aliis. Dein vett. editt. ὡς ἢ ψυχῆ μὲν, quem ordinem recentiores editores e Bodl. Tub. Ven. ΞII Vind. P Zitt. mutarunt. Pro πολυχρονιώτερον, quod olim e Vat. Flor. d Zitt. Par. L revocaram, nunc tenui πολυχρόνιον, praesertim cum Bekkerum videam alteram lectionem ex uno tantum Par. enotavisse. Nec desunt alia comparativi et positivi ita consociati exempla.

ἂν φαίη] V. φαίην, quod e Bodl. Coisl. Vat. Tub. Ven. AII Vind. Φ Par. CHL Vind. 1 2 4 6 Flor. a b c i Zitt. et corr. Ven. Ξ emendatum.

ἔστι positum etiam Soph. Ai. 778 ἀλλ' εἴπερ ἔστι τῆδε θῆμέρα, τάχ' ἂν γενοίμεθ' αὐτοῦ — σωτήριοι et ibid. 783 οὐκ ἔστιν ἀνήρ κείνος, εἰ Κάλχας σοφός. De ἴσως in re certa posito v. ad p. 67 A.

D. καὶ οὐδὲν τι μᾶλλον —] Recte Ficinus: neque propterea magis sequitur hominem esse veste viliores atque debiliores. Mox Heindorfius de coniectura scripsit καὶ τις λέγων ταῦτα ταῦτα, eadem haec, libris inuitis. Et ferri potest αὐτὰ ταῦτα,

haec ipsa, quamquam illud sententiae magis accommodatum est.

μέτρι' ἂν μοι φ. λ.] recte et rationi convenienter dicere. v. ad Criton. p. 46 C.

ἀλλὰ γὰρ ἂν φαίη] Intell. ὁ λέγων ταῦτα περὶ αὐτῶν. Nam quod vulgo legebatur φαίην, id perturbat sententiae rationem. De ἀλλὰ γὰρ, at enim, sed enim, quo causalis sententia ut contraria superioribus affertur, omnia sunt in vulgus nota. Itaque sententia haec est: At enim, etsi animus

ἄλλως τε καὶ εἰ πολλὰ ἔτη βιώη· εἰ γὰρ ῥέοι τὸ σῶμα
καὶ ἀπολλύοιτο ἔτι ζῶντος τοῦ ἀνθρώπου, ἀλλ' ἢ ψυχὴ
E αἰ τὸ κατατριβόμενον ἀνυφαίνοι, ἀναγκαῖον μὲντ' ἂν
εἶη, ὅποτε ἀπολλύοιτο ἢ ψυχὴ, τὸ τελευταῖον ὑφασμα
τυχεῖν αὐτὴν ἔχουσαν καὶ τούτου μόνου προτέραν ἀπόλ-
λυσθαι· ἀπολομένης δὲ τῆς ψυχῆς, τότε ἤδη τὴν φύσιν
τῆς ἀσθενείας ἐπιδεικνύοι τὸ σῶμα καὶ ταχὺ σαπὲν διοί-
χοιτο. ὥστε τούτω τῷ λόγῳ οὕτω ἄξιον πιστεύσαντα
88 ψυχὴ ἔστιν. εἰ γὰρ τις καὶ πλέον ἔτι τῷ λέγοντι ἢ ἄ

ἄλλως τε καὶ εἰ] V. ἄλλως τε καὶ, quod correctum e Bodl. Ven.
ΞII Vind. T Zitt. In Tubing. scriptum: ἄλλως τε εἰ καὶ π. Dein vett.
editt. βιώ, pro quo βιώη suppeditarunt Bodl. Vat. Vind. II Tub. Aug.
Flor. d i Zitt. Vind. TΦ Par. CG Ambr.

E. ἀπολομένης] Vitiose editt. vett. ἀπολλομένης, Stephanus
ἀπολλυμένης. Nam corpus extincto demum animo putrescere potest.
Veram lectionem habent Bodl. Coisl. Vat. Tub. Ven. ΞII et alii plurimi.
Deinde vett. editt. errore ἐπιδεικνύοιτο σῶμα codicibus invitis.

corpore sit diuturnior, ta-
men inde nondum sequitur
eum esse immortalem. Nam
ille, qui ista statuat, nihil
dicat aliud quam etc.

ἄλλως τε καὶ εἰ πολλὰ ἔτη
βιώη] praesertim si multos
annos vivat. Quod in cod. Tub.
scriptum exstat ἄλλως τε εἰ καὶ
π., id quomodo ab altero differat,
docet Hermannus ad Viger. p. 781.
ann. 377 sq. Eodem modo Xen.
Mem. I. 2, 59 ἄλλως τ' ἔάν πρὸς
τούτω καὶ θρασείας ὄσι. Symp. I.
8 ἄλλως τε ἦν καὶ μετ' αἰδοῦς
καὶ σωφροσύνης, ut legit Aristides.
Ibid. II. 3 ἄλλως τε ἦν καὶ νόμ-
φαι τῶσιν οὔσαι. — Mox ἀνυ-
φαίνοι est rursus contexat.

E. τὴν φύσιν τῆς ἀσθε-
νείας ἐπιδεικνύοι] Nisi post
φύσιν excedit ἂν, quod Heindorf.
suspiciabatur, certe illud e superio-
ribus facile intellegi potest. Quam-
quam ne hoc quidem opus videtur.
v. ad p. 86 A. — τὴν φύσιν τῆς
ἀσθενείας dicit ipsam ἀσθενείαν,
quam loquendi rationem iam alibi
attigimus. v. ad p. 79 B. Symp. p.
191 A.

P. 88. εἰ γὰρ τις καὶ πλέον
ἔτι —] Schleiermacher. [cui
assentitur Ueberweg, Philol. XX.
p. 512] ἢ post λέγοντι delendum
censebat, quo facto verba καὶ πλέον
ἔτι cum ξυγχορήσεις connecti, pro-
nomen σὺ autem ad Socratem referri
oportere arbitrabatur. Quae ratio
etsi primo ad spectu habet quo se
magnopere commendat, tamen ma-
gnis obnoxia est difficultatibus. Nam
primum ἢ in omnibus libris serva-
tur constanter. Deinde nescio quid
molesti habet istud: τῷ λέγοντι ἄ
σὺ λέγεις, pro quo simpliciter σὺ
poterat dici. Quocirca Heindorf.
malebat Cebetem haec, ut proxime
praegressa, ad Simmiam conversum
dicere, qui cum supra p. 85 D sqq.
concessisset animos humanos ante
hanc vitam fuisse, deinde tamen
animo cum harmonia comparato ne-
gaverat maiorem illius esse firmita-
tem ac diuturnitatem quam corpo-
ris. Itaque verbis πλέον ἔτι cum
λέγοντι copulatis sensum verborum
hunc esse putabat: nam etiam si
quis assentiatur ei, qui vel
plus concedat quam tu, lar-
giens illi hoc, non solum etc.
Qua ratione probata quod verba

σὺ λέγεις ξυγχορήσεις, δούς αὐτῷ μὴ μόνον ἐν τῷ πρὶν
καὶ γενέσθαι ἡμᾶς χρόνῳ εἶναι ἡμῶν τὰς ψυχὰς, ἀλλὰ
μηδὲν κωλύειν καὶ ἐπειδὴν ἀποθάνωμεν ἐνίαν ἔτι εἶναι
καὶ ἔσεσθαι καὶ πολλάκις γενήσεσθαι καὶ ἀποθανεῖσθαι
αὐτίς· οὕτω γὰρ αὐτὸ φύσει ἰσχυρόν εἶναι, ὥστε πολ-
λάκις γιγνομένην τὴν ψυχὴν ἀντέχειν· δούς δὲ ταῦτα
ἐκεῖνο μηκέτι συγχοροίη, μὴ οὐ πονεῖν αὐτὴν ἐν ταῖς

P. 88. ἡμῶν τὰς ψυχὰς] Vulgo τὴν ψυχὴν. Sed τὰς ψυχὰς
Bodl. Tub. Ven. II ex corr. Vind. T Zitt., quod ediderunt etiam Turicenses
et Herm. conf. tamen 87 E extr. p. 86 CE. p. 95 B.

τὴν ψυχὴν] Articulum ab aliis omnibus omissum addidi ex Vat.
Par. AC Ambr. Flor. a c d m. Dein vett. editt. μηκέτι ἐκεῖνο, quem or-
dinem e Bodl. Vat. Ven. ΞII Flor. d Zitt. Vind. TΦ Ambr. mutavimus.
Pro συγχοροῖ Bekker. ex Coisl., nos e Flor. b συγχοροίη scripsimus. Ce-
terae editt. συγχοροῖ.

πλέον ἔτι ita praemissa sunt, nihil
sane frequentius est hoc hyperbato,
in quo nescio cur Schleierma-
cher. adeo offenderit, ut maluerit
locum coniectura tentare. Cui quo-
niam video exempla ab Heindorf-
fio allata non satisfacisse, alia ad-
dere non erit supervacaneum. Plat.
Legg. I. p. 636 B καὶ δὴ καὶ πα-
λαιὸν νόμιμον δοκεῖ τοῦτο τὸ
ἐπιτήδευμα κατὰ φύσιν τὰς περὶ
τὰ ἀφροδίσια ἡδονὰς οὐ μόνον
ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ θηρίων διε-
φθορῆναι, ubi v. annot. Politic.
p. 273 C τὸν ἐγγύτατα χρόνον αἰεὶ
τῆς ἀφρέσεως. cf. Matthiae Gr.
§. 278. 2. Neque tamen nunc Hein-
dorfii ratione acquiescimus. Nam
etsi haec ad Simmiam dici utique
nobis persuaserimus, tamen καὶ
πλέον ἔτι cum ξυγχορήσεις co-
haerere censemus; τῷ λέγοντι au-
tem interpretamur disserenti, ei
qui immortalitatem animo-
rum defendit, atque ἢ ἄ σὺ λέ-
γεις putamus idem esse quod ἢ ἄ
σὺ συγχοροῖς. Quocirca universi
loci sententiam hanc esse putamus:
Nam etiamsi quis ei, qui dis-
serit de animorum immorta-
litate eamque defendit, adeo
plura, quam tu, Simmia, di-
cis concedenda esse, largia-
tur concedatque etiam animi
vim eam esse, quae multa
deinceps corpora per longis-

simum tempus occupare et
inhabitare queat (quod ipsum
Simmias negavit); tamen inde
nondum consequitur, ut ei-
dem etiam immortalitas ani-
morum concedenda sit. Se-
quitur enim ex illis hoc unum
tantum, animi vim esse ma-
xime diuturnam, aeternam
eam esse atque immortalem
non sequitur. Potest enim
animus in multis illis gene-
rationibus paullatim viribus
deficere et aliquando pror-
sus interire. Cf. infra p. 95 CD.

οὕτω γὰρ αὐτὸ φύσει ἰσχ.]
Pronomen αὐτό refertur ad ψυχὴν.
Infra p. 109 A πάμμεγά τι εἶναι
αὐτό, int. τὴν γῆν. Plura ad Phi-
leb. p. 28 A coll. Matthiae Gr.
§. 439. Poterat igitur deinceps per-
gere hoc modo: ὥστε πολλάκις γι-
γνόμενον ἀντέχειν. Sed perspi-
cuitatis causa dicit γιγνομένην τὴν
ψυχὴν ἀντέχειν. Ceterum ἀντέχειν
prorsus respondet nostro wider-
halten, i. e. durare, perma-
nere, διαμένειν, σώζεσθαι, quo-
modo a Dinarcho usurpatum esse
hoc verbum Suidas docet v. ἀν-
έχει. Eundem verbi usum notavi-
mus De Rep. VI. p. 492 C, ubi v.
ann.

δούς δὲ ταῦτα ἐκεῖνο μη-
κέτι συγχ.] Pertinent haec quo-
que ad protasin inde a verbis εἰ

πολλαῖς γενέσεσι καὶ τελευτῶσάν γε ἐν τινι τῶν θανά-
των παντάπασιν ἀπόλλυσθαι, τοῦτον δὲ τὸν θάνατον
B καὶ ταύτην τὴν διάλυσιν τοῦ σώματος, ἢ τῇ ψυχῇ φέρει
ὄλεθρον, μηδένα φαίη εἶδέναι· ἀδύνατον γὰρ εἶναι ὄφρουν
αἰσθάνεσθαι ἡμῶν· εἰ δὲ τοῦτο οὕτως ἔχει, οὐδενὶ προσ-
ῆκει θάνατον θαρρόντι μὴ οὐκ ἀνοήτως θαρρόειν, ὅς
ἂν μὴ ἔχη ἀποδείξει, ὅτι ἐστὶ ψυχῇ παντάπασιν ἀθάνα-
τόν τε καὶ ἀνώλεθρον· εἰ δὲ μὴ, ἀνάγκη εἶναι αἰετὸν τὸν
μέλλοντα ἀποθανεῖσθαι δεδιέναι ὑπὲρ τῆς αὐτοῦ ψυχῆς,
μὴ ἐν τῇ νῦν τοῦ σώματος διαζεύξει παντάπασιν ἀπό-
ληται.

B. ἢ τῇ ψυχῇ] Bodl. Vind. T Tub. Zitt. et corr. Ven. II Par. G
εἰ τῇ ψ.

μὴ ἔχη] Sic optimi libri una consensione. Vett. editt. ἔχοι.

ἀνάγκη εἶναι] Vind. Φ. Par. L et pr. Coisl. Ven. A ἀνάγκη. In
Vind. Φ praeterea εἶναι deest.

ἀπόληται] Par. L et corr. Ven. II ἀπόλλυται.

γὰρ τις καὶ πλέον κ. τ. λ. inchoa-
tam. — μηκέτι συγγ., non iam
illud concedat. — De oculis
μὴ οὐ post negantem sententiam
usu legitimo illatis p. 85 C diximus.

πονεῖν] i. e. frangi viribus,
confici, faticare.

ἐν ταῖς πολλαῖς γενέσεσι]
cum migrat saepius et profi-
ciscitur in alia atque alia
corpora. — Pro καὶ τελευτῶσαν
Stephanus coni. ἀλλὰ καὶ τελ.,
quod recepit Forsterus. Nimirum
non viderunt homines doctissimi μὴ
οὐ etiam pertinere ad καὶ τελευ-
τῶσαν — ἀπόλλυσθαι, tandem
perire. Ceterum patet hanc sen-
tentiam Cebetis cohaerere cum do-
ctrina Pythagoreorum de migratio-
nibus animorum. Videntur enim
Pythagorei posteriores iam tum
nonnihil descivisse a magistri sen-
tentia, de quo Maxim. Tyr. Diss.
XVI. 2 Πυθαγόρας δὲ ὁ Σάμιος
πρῶτος ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἐτόλμη-
σεν εἰπεῖν, ὅτι αὐτῷ τὸ σῶμα
μὲν τεθνήσκει, ἢ δὲ ψυχῇ ἀνα-
πτῶσα οὐκ ἀθνήσκει καὶ
ἀγήρωσ. cf. Arist. De anima I. 3.
Diog. Laert. VIII. 14 et 28 coll.
Cic. Tusc. I. 17. Haec igitur sen-
tentiam Plato nunc referri iussit, ut

quid de ea esset sentiendum data
opportunitate patefaceret. Cum
enim ea materialismo cuidam de-
beretur, opposuit illi idealismum,
quem vocare licebit.

B. εἰ δὲ τοῦτο οὕτως ἔχει
—] Debat dehinc inferri apodosis
huius argumenti: tamen inde
nondum consequitur ani-
mum esse immortalem, ita
ut de eius interitu nobis se-
curis esse liceat. Sed repente
abrupto sermone neglecta apodosis
forma iam subiungit haec: si vero
haec ita sese habent, consen-
taneum est neminem, de
morte qui bono animo sit,
non imprudenter bono animo
esse, nisi possit docere ani-
mum omnino esse immorta-
lem interitusque expertem.
Est igitur haec liberior ac solutior
orationis conformatio plane accom-
modata illa fervidius loquentis dis-
putationi. Ad ἀνάγκη εἶναι ex
praecedenti προσήκει per zeugma
repetas εἰκός ἐστιν.

δεδιέναι ὑπὲρ τῆς ψυχῆς]
ut p. 78 B est: für die Seele
fürchten. Aliud est δεδιέναι
περὶ τινος, quod Heindorf. usi-
tatius esse dicit.

Cap. XXXVIII. Πάντες οὖν ἀκούσαντες εἰπόντων αὐ-
τῶν ἀηδῶς διετέθημεν, ὡς ὕστερον ἐλέγομεν πρὸς ἀλλή- C
λους, ὅτι ὑπὸ τοῦ ἐμπροσθεν λόγου σφόδρα πεπεισμέ-
νους ἡμᾶς πάλιν ἐδόκουν ἀναταράξαι καὶ εἰς ἀπιστίαν
καταβαλεῖν οὐ μόνον τοῖς προειρημένοις λόγοις, ἀλλὰ
καὶ εἰς τὰ ὕστερον μέλλοντα δηθήσεσθαι, μὴ οὐδενὸς
ἄξιοι εἶμεν κριταὶ ἢ καὶ τὰ πράγματα αὐτὰ ἄπιστα ἦ.

EX. Νῆ τοὺς θεούς, ὦ Φαίδων, συγγνώμην γε
ἔχω ὑμῖν. καὶ γὰρ αὐτὸν με νῦν ἀκούσαντά σου τοι-
οῦτόν τι λέγειν πρὸς ἐμαυτὸν ἐπέρχεται, Τίτι οὖν ἐτι
πιστεύσομεν λόγῳ; ὡς γὰρ σφόδρα πιθανὸς ὢν, ὃν ὁ D

Cap. XXXVIII. C. ἀηδῶς διετέθημεν] Steph. errore ἀηδῆς.

ἄξιοι εἶμεν] Vett. editt. εἴημεν. Bodl. Vind. T Par. G Tub. Zitt.
Ven. a b ἡμεν, quod cave temere arripias. Nam istud ἡμεν dubium non
est quin ex εἶμεν sit depravatam. Dein pro ἦ, quod libri habent, Hein-
dorffius correxit εἴη.

D. πιστεύσομεν] Solus Coisl. πιστεύσωμεν, quod minus proba-
bile. Hoc enim dicitur: quatenam igitur erit ratio, cui confida-
mus? i. e. nulla erit.

ὡς γὰρ σφόδρα] Ald. Bas. 1 Steph. ὁ γὰρ σφ. π. praeter codicum
fidem et auctoritatem.

Cap. XXXVIII. C. εἰς ἀπι-
στίαν κ. —] Dativus τοῖς προει-
ρημένοις λόγοις pendet e nomine
verbali ἀπιστίαν, de qua construc-
tione v. ad Euthyphr. p. 13 D et 15
A. Matth. Gr. §. 390. Alia ratio est
proximorum verborum, ubi εἰς τὰ
ὑστερον μέλλοντα est: quod at-
tinet ad ea, quae adhuc es-
sent disputanda. — Dein quod
post μὴ εἶμεν infertur ἢ conjuncti-
vus, cave ne invitis libris omnibus
εἴη restituendum putes, sicuti pla-
cuit Heindorfio. Nam conjuncti-
vus post optativum infertur, quia
significatur ipsos dubitare ocepisse,
num etiam rei ipsius natura per se
spectata talis esset, ut pro incredi-
bili esset habenda. Quocirca opta-
tivus ad meram rei cogitationem,
conjunctivus autem ad rei adhuc
experientiae rationem designandam
valet, quod discrimen ut notetur,
admittitur subinde haec modorum
variatio. Xenoph. Hellen. II. 1, 2
δεινὸν ἐφαίνετο εἶναι, μὴ τινα
καὶ εἰς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας
διαβολὴν σχοῖεν (quod in cogi-

tatione positum) καὶ οἱ στρατιῶται
δύσνοι εἰς τὰ πράγματα ὡσιν
(quod ex rerum condicione suspen-
sum est). Thucyd. VI. 96 ἑξακο-
σίους — ἐξέκριναν πρότερον, —
ὅπως τῶν τε Ἐπιπολῶν εἴησαν
φύλακες (quo significatur consi-
lium tum captum et in mera mentis
cogitatione positum), καὶ, ἦν ἐς
ἄλλο τι δέη, ταχὺ ξυνεστῶτες
παραγίγνονται (quo loco atten-
das quaeso verba intermedia ἦν
ἐς ἄλλο τι δέη, unde lux affundi-
tur conjunctivo). Plura id genus in
medium attulerunt Matthiae Gr.
§. 518. p. 1182 ed. 3. Bernhardt
Synt. p. 401. Klotz, ad Devar. II.
p. 668. De μὴ post ἀπιστίαν παρ-
εἶναι et εἰς ἀπιστίαν καταβαλεῖν
illato diximus ad p. 69 E.

τοιούτόν τι λέγειν πρὸς
ἐμαυτὸν ἐπέρχεται] h. e.
meum etiam animum talis
fere subit cogitatio. Nam λέ-
γειν πρὸς ἑαυτὸν est secum co-
gitare. Usurpatur autem ἐπέρχε-
σθαι vel de consilio capiando vel
de cupiditate subito oborta eoque

Σωκράτης ἔλεγε λόγον, νῦν εἰς ἀπιστίαν καταπέπτωκε. θανμαστῶς γάρ μου ὁ λόγος οὗτος ἀντιλαμβάνεται καὶ νῦν καὶ αἰεὶ, τὸ ἀρμονίαν τινὰ ἡμῶν εἶναι τὴν ψυχὴν, καὶ ὥσπερ ὑπέμνησέ με φηθεῖς, ὅτι καὶ αὐτῷ μοι ταῦτα προϋδέδοκτο. καὶ πάννυ δέομαι πάλιν, ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς, ἄλλου τινὸς λόγου, ὅς με πείσει, ὡς τοῦ ἀποθανόντος οὐ συναποθνήσκει ἡ ψυχὴ. λέγε οὖν πρὸς Διός, πῆ ὁ

E Σωκράτης μετῆλθε τὸν λόγον; καὶ πότερον κἀκείνος, ὥσπερ ὑμᾶς φῆς, ἐνδηλὸς τι ἐγένετο ἀχθόμενος ἢ οὐ, ἀλλὰ πρῶως ἐβοήθει τῷ λόγῳ; καὶ ἱκανῶς ἐβοήθησεν ἢ

καὶ αὐτῷ] καὶ add. Bodl. Vat. Coisl. Tub. Aug. Ven. AΠ septem Vindobb. Flor. a b c d i m Par. CGHI Ambr. Zitt. et rec. Ven. E. Habet etiam Bas. 2.

E. ἐνδηλὸς τι] τι om. Coisl. Aug. Ven. A Vind. Φ Par. CEGHIL Flor. a b c d i m. sed v. ann.

καὶ ἱκανῶς] V. ἢ καὶ ἱκ. Recte omittit ἢ Vat. In Flor. d εἰ καὶ ἱκανῶς ἐβ. legitur. [Stephanus: καὶ εἰ ἱκανῶς].

differt ab εἰσέχεσθαι, quod fere recordationem animique affectum significat monente Hermanno ad Lucian. De histor. conscr. p. 18.

D. ὁ λόγος οὗτος ἀντιλαμβάνεται] h. e. mirifice me capit, ita ut ab altera illa sententia quasi abstrahar et abducar. Perperam Heindorf.: mirifice me capit et delectat haec tua ratio. Nec alia ratio est loci ab illo comparati Parm. p. 130 E νέος — εἰ ἔτι καὶ οὐ πῶς σου ἀντιλήπεται φιλοσοφία, ὡς ἔτι ἀντιλήπεται, h. e. necdum philosophia te ita cepit, ut imperitiae multitudinis opiniones asperneris. Quod autem Eche-crates fatetur rationem istam sibi placere eximie adeoque iam antea fuisse probatam, id minime mirum accidit, siquidem ipse fuit Pythagoreus. Pythagoreos autem constat omnia ad numeros ac sonorum rationes revocavisse, quod ipsum etiam animi natura fecerunt, quam voluerunt contineri harmonia. Rem egregie exposuit Wyttenbach. ad Phaedon. p. 248.

καὶ νῦν καὶ αἰεὶ] nunc, ut semper antea. vid. Schaefer. ad Soph. Ant. 181.

καὶ ὥσπερ ὑπέμνησέ με] et me quasi commonefecit me ipsum quoque in eadem fuisse sententia, ut Phaedr. p. 260 E et al. Heindorf. ad Cratyl. p. 384 C ὥσπερ interpretatur propemodum.

πῆ ὁ Σ. μετῆλθε τὸν λόγον —] quomodo S. persecutus sit et ad finem perduxerit disputationem de animi immortalitate.

E. ἐνδηλὸς τι ἐγ. ἀχθόμενος] Recte iudicavit Heindorf. τι ad ἀχθόμενος pertinere. Ita Soph. p. 218 A ἀν — τι τῷ μήκει πονῶν ἀχθῆ. Xen. Cyr. I. 4, 25 μὴ ὁ πατήρ τι ἀχθόιτο. Dem. Epist. p. 1478. 9 εἰ ἀχθουσθέντες τι — μηδὲ πρὸς τελευτήσαντας ἀπαλλαγῆσονται. Alia dabit Schaefer. ad Demosth. Appar. T. V. p. 377. — πρῶως βοήθειν τῷ λόγῳ, aequo animo succurrere rationi, i. e. eam defendere et vindicare in dubitationibus et reprehensionibus, ita ut adversariorum sententias non moleste feras.

καὶ ἱκανῶς ἐβ.] h. e. καὶ πότερον ἱκανῶς, de quo usu v. ann. ad Protag. p. 330 C et Gorg.

ἐνδεῶς; πάντα ἡμῖν διέλθε ὡς δύνασαι ἀκριβέστατα. ΦΑΙΔ. Καὶ μὴν, ὦ Ἐχέκρατες, πολλάκις θανμάσας Σωκράτη οὐ πώποτε μᾶλλον ἠγάσθην ἢ τότε παραγεγόμενος. τὸ μὲν οὖν ἔχειν ὅ τι λέγοι ἐκεῖνος ἴσως οὐδὲν 89 ἄτοπον· ἀλλ' ἔγωγε μάλιστα ἐθαύμασα αὐτοῦ πρῶτον μὲν τοῦτο, ὡς ἠδέως καὶ εὐμενῶς καὶ ἀγαμένως τῶν νεανίσκων τὸν λόγον ἀπεδέξατο, ἔπειτα ἡμῶν ὡς ὀξέως ἤσθετο ὁ πεπόνθειμεν ὑπὸ τῶν λόγων, ἔπειτα ὡς εὖ ἡμᾶς ἰάσατο καὶ ὥσπερ πεφευγότας καὶ ἠττημένους ἀνεκαλέσατο καὶ προὔτρψε πρὸς τὸ παρῆρθεσθαί τε καὶ ξυσκοπεῖν τὸν λόγον. EX. Πῶς δὴ; ΦΑΙΔ. Ἐγὼ ἐρῶ. ἔτυχον γὰρ ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ καθήμενος παρὰ τὴν κλίνην ἐπὶ χαμαιζήλου τινός, ὃ δὲ ἐπὶ πολὺ ὑψηλοτέρου ἢ ἐγώ. B

P. 89. ὅ τι λέγοι] λέγει Vat. Ven. A Par. EI Aug. Flor. b i male. ξυσκοπεῖν] ξυνσκοπεῖν Bodl. Coisl.

ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ καθήμενος] Sic Bodl. Tub. Ven. EΠ Par. G Vind. Φ Zitt. Vulgo erat καθήμενος ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ.

B. ἐπὶ πολὺ ὑψηλοτ.] Steph. πολλῶ invltis plurimis optimisque libris. Mox τὰς καλὰς κόμας omisso ταύτας Bodl. pr. Ven. II Tub. atque Vat. corr. ἀποκερεῖς cum Flor. d Aug.

p. 488 D. Prave Hirschig. post καὶ inculcavit εἰ.

P. 89. τὸ μὲν οὖν ἔχειν —] Notabilis subiecti attractio. Nam proprie esse debebat: τὸ μὲν οὖν ἔχειν ἐκεῖνον ὃ λέγοι. Sententia autem haec est: Quod ille habebat quae ad illas dubitationes responderet, id quidem non mirum est.

ὡς ἠδέως καὶ εὐμενῶς] h. e. ὅτι οὕτως ἠδέως καὶ εὐμενῶς. vid. ad Criton. p. 43 B. — ἀποδέχεσθαι h. l. non habet probandi significationem, ut putabat Ruhnk. ad Tim. p. 9, sed est simpliciter excipere, aurem praebere, audire, anhören, aufnehmen. Audisse vero Socrates adolescentium dubitationes dicitur non solum lubenter ac benevole, sed etiam acumen et ingenium admiraretur. Frustra igitur fuit qui ἀσμένως corrigendum putaret, quo nihil potuit excogitari ieiunius. — Quod post πρῶτον μὲν infertur ἔπειτα — ἔπειτα pro usitatiorē πρῶτον μὲν —

ἔπειτα — ἔτι δὲ καί, eius rationis exempla sunt Aesch. Agam. 1318. Arist. Plut. 1103. Xen. Mem. III. 11, 14. IV. 5, 1. Plat. Legg. II. p. 669 B. Alia etiam Heindorfius congressit. — Deinde advertas metaphorae elegantiam. Cum enim verbum πεπόνθειμεν de aegrotis et victis intellegi possit, utitur verbo ἰάσασθαι, animum sanare i. e. a dubitationibus liberare, et verbis πεφευγότας καὶ ἠττημένους κ. τ. λ. inchoatam imaginem magis etiam exornat. Ceterum quod Cebes et Simmias vocantur νεανίσκοι, de usu nominis audias Phavorinum: νεανίσκος ἀπὸ ἐτῶν εἰκοσιτριῶν ἕως ἐτῶν τριάκοντα τεσσαρῶν ἢ τεσσαράκοντα ἐνός. conf. Diog. Laert. VIII. 10. Krüger. De vita Xenophont. p. 12. Sic adolescens apud Latinos, de quo v. Curtius ad Sall. Cat. 38, 1.

B. ἐπὶ χαμαιζήλου τινός] Intell. δίφρον vel θρανίον. Timaeus Gloss. v. χαμαιζήλος· δίφρον μικρὸν ἢ ταπεινὸν σκιμπίδιον.

καταψήσας οὖν μου τὴν κεφαλὴν καὶ ξυμπιέσας τὰς ἐπὶ τῷ ἀνέμῳ τρίχας — εἰώθει γάρ, ὅποτε τύχοι, παλζειν μου εἰς τὰς τρίχας — Αὔριον δὲ, ἔφη, ἴσως, ὡς Φαίδων, τὰς καλὰς ταύτας κόμας ἀποκέρει. "Εοικεν, ἦν δ' ἐγώ, ὡς Σώκρατες. Οὐκ, ἂν γε ἐμοὶ πείθῃ. Ἄλλὰ τί; ἦν δ' ἐγώ. Τήμερον, ἔφη, κάγω τὰς ἐμὰς καὶ σὺ ταύτας, ἐάνπερ γε ἡμῖν ὁ λόγος τελευτήσῃ καὶ μὴ δυνώμεθα αὐτὸν ἀναβιάσασθαι, καὶ ἐγὼ γ' ἂν, εἰ σὺ εἶην καὶ με διαφεύγοι ὁ λόγος, ἐνορμον ἂν ποιησαίμην, ὥσπερ Ἀργεῖοι, μὴ πρότερον κομήσειν, πρὶν ἂν νικήσω ἀναμαχόμενος τὸν Σιμμίου τε καὶ Κέβητος λόγον. Ἄλλ', ἦν δ' ἐγώ, πρὸς δύο λέγεται οὐδ' ὁ Ἡρακλῆς οἶός τε εἶναι.

ἂν γε ἐμοί] Vat. Vind. Φ Ambr. Ven. Π ἂν ἐμοί γε.

ἡμῖν ὁ λόγος] V. ἡμῶν invitis codicibus. Dativum etiam Bas. 2 tuetur. Mox ἀναβιάσασθαι Vat. Ven. Ξ Par. C.

C. διαφεύγοι ὁ λόγος] Bodl. pr. m. Ven. Π Vind. Τ διαφύγοι, quod praetulit Herm. ob Bodl. pr. m. scilicet gravitatem.

οὐδ' ὁ Ἡρακλῆς] Articulum add. Coisl. Vat. Tub. Ven. ΑΞΠ Vind. Τ Par. ACGHI Ambr. Flor. a b e d i m Zitt. Nihilominus Herm.

κόμας ἀποκέρει] detonderi tibi iubebis. Hoc autem facere in luctu solebant. v. Iunius De coma s. v. Kirchmann. De funeribus II. 13 et interpp. ad Aelian. V. H. VII. 8. Taylor. ad Aesch. adv. Ctesiph. Orat. Gr. Vol. III. p. 605. Nam alias caesariem aiebant. Quamquam ephelis moris erat comam detondere. v. Hermann. Privatalterth. d. Griechen §. 23. ann. 17 et 18, unde nuper Phaedonem temere collegerunt tum nondum undevicesimum aetatis annum attigisse.

Οὐκ, ἂν γε ἐμοὶ πείθῃ.] Sic De Rep. V. p. 480 A οὐκ, ἂν γ' ἐμοὶ πείθωνται. Xen. Hell. I. 7, 19 οὐκ, ἂν ὑμεῖς γέ μοι πείθῃσθε.

Ἄλλὰ τί;] sc. βούλει ποῖα. v. Euthyphr. p. 14 D et quae collegit Heindorf. ad h. l.

ἐάνπερ γε ἡμῖν ὁ λόγος τελευτήσῃ] Nota est dictio et Platoni frequentata ὁ λόγος οἴχεται, ὁ λόγος ἐκφεύγει, ὁ λόγος σάζεται, quam pro sententiae ratione hoc loco sapienter permutavit cum alia minus usitata. Sententia autem

haec est: si apparuerit disputationem de animi immortalitate institutam vanam esse et falsam, ita ut nullo modo ab illis dubitationibus et reprehensionibus possit liberari ac vindicari.

C. εἰ — με διαφεύγοι ὁ λόγος] h. e. si recta ratio me fugeret et quasi elaberetur, si non possem argumentis idoneis docere animum esse immortalem.

ἐνορμον ἂν ποιησαίμην] iureiurando me obstringerem.

ὥσπερ Ἀργεῖοι] Hi enim ab Lacedaemouiis victi, cum Thyreas amisissent a. Chr. n. 546, constituerunt non prius comas alere, quam victoriam reportassent, narrante Her. I. 82. De πρότερον πρὶν, πρῶτον πρὶν, πρόσθε πρὶν, πάρος πρὶν v. Duker. ad Thuc. VI. 57 et Ruhnken. ad Hom. h. in Cerer. v. 333. — ἀναμαχόμενος, pugnam redintegrans.

πρὸς δύο οὐδ' ὁ Ἡρακλῆς] Proverbiū origo incerta, sententia satis aperta est. v. Scholiast. ad h. l., quem docta annotatione illu-

Ἄλλὰ καὶ ἐμέ, ἔφη, τὸν Ἴόλεων παρακάλει, ἕως ἔτι φῶς ἐστίν. Παρακαλῶ τοίνυν, ἔφη, οὐχ ὡς Ἡρακλῆς, ἀλλ' ὡς Ἴόλεως τὸν Ἡρακλῆ. Οὐδὲν διοίσει, ἔφη.

Cap. XXXIX. Ἄλλὰ πρῶτον εὐλαβηθῶμέν τι πάθος μὴ πάθωμεν. Τὸ ποῖον; ἦν δ' ἐγώ. Μὴ γενώμεθα, ἦ δ' ὅς, μισόλογοι, ὥσπερ οἱ μισάνθρωποι γιγνώμενοι. ὡς D οὐκ ἐστίν, ἔφη, ὅ τι ἂν τις μείζον τούτου κακὸν πάθος ἢ λόγους μισήσας. γίννεται δὲ ἐκ τοῦ αὐτοῦ τρόπου μισολογία τε καὶ μισανθρωπία. ἦ τε γὰρ μισανθρωπία ἐνδύεται ἐκ τοῦ σφόδρα τινὶ πιστεῦσαι ἄνευ τέχνης καὶ ἠγήσασθαι παντάπασί τε ἀληθῆ εἶναι καὶ ὕγιῃ καὶ πιστὸν τὸν ἄνθρωπον, ἔπειτα ὀλίγον ὕστερον εὐρεῖν τοῦτον πονηρὸν τε καὶ ἄπιστον, καὶ αὐθις ἕτερον. καὶ ὅταν τοῦτο πολλάκις πάθῃ τις, καὶ ὑπὸ τούτων μάλιστα, οὗς ἂν ἠγήσαιο οἰκειοτάτους τε καὶ ἐταιροτάτους, τελευτῶν δὲ θαμὰ προσκρούων μισεῖ τε πάντας καὶ ἠγεῖ-

cum Bodl. unice faciens articulum rursus extrusit. Scilicet Bodl. habet οὐδ' ὁ Ἡρ. Verbum λέγεται in editt. omnibus post Ἡρακλῆς interpositum cum Bodl. Ven. Ξ II Vind. Τ ante οὐδ' collocavi. Nisi forte λέγεται et οἶός τε εἶναι ex glossemate ortum est, ut Hirschig. conī.

Ἡρακλῆς] ὁ Ἡρακλῆς Coisl. Ven. Α Par. II.

Οὐδὲν διοίσει, ἔφη] Deest ἔφη in Coisl. Ven. Α Par. CEHIL Flor. a b e i m.

Cap. XXXIX. D. παντάπασί τε] Par. G Ven. II Tub. cum Stobaeo π. τε, quod recepit etiam Heindorf. Vulgo γε scribitur. Deinde expectabas ὕγιᾶ, siquidem grammatici vere praecipunt. Sed conf. Matthiae Gr. §. 113. 1. coll. ann. crit. ad p. 86 A.

stravit Ruhnkenius, cuius disputationem nuper cum eruditis communicavit Geelius in Bibliotheca Crit. Nov. Vol. II. p. 15 sqq. conf. Eustathius ad Iliad. λ. 749. p. 882. 35 ed. Rom. Pausan. VIII. p. 629 Ἴόλαον μὲν δὲ τὰ πολλὰ Ἡρακλεῖ συγκαμνεῖν λέγουσιν.

ἕως ἔτι φῶς ἐστίν] ante quam sol occidit. Nam damnati post solis occasum venenum haurire solebant. v. p. 116 B.

Cap. XXXIX. Τὸ ποῖον;] h. e. ποῖόν ἐστι τοῦτο τὸ πάθος, ὃ λέγεις; ut vere explicat Hermann. ad Viger. p. 705. Exempla dictionis plurima collegit ad h. l. Wyttenbachius.

D. τούτου κακὸν π. ἢ λόγ. μισ.] De verbis ἢ λόγ. μισ. post τούτου illatis v. ad Gorg. p. 500 C οὐ τί ἂν μάλλον σπονδασιεῖ τις — ἢ τοῦτο, ὄντινα γρηῖ τρέπον ζῆν, ubi v. annot. Eodem modo Cic. De n. d. I. 15 Quo quid absurdius, quam aut res sordidas atque deformes deorum honore afficere? De participio μισήσας cf. p. 83 C.

παντάπασί τε ἀληθῆ εἶναι καὶ ὕγ.] Ne temere traiectam putes voculam τε, verba παντάπασιν ἀληθῆ unam notionem efficiunt, ut τε utrique parti adiungi potuerit, v. ann. ad p. 86 C. — ἔπειτα etiam hic pro καίτετα dictum; v. Apolog. p. 23 C.

ται οὐδενὸς οὐδὲν ὑγιᾶς εἶναι τὸ παράπαν. ἢ οὐκ ἤσθη-
σαι οὕτω πως τοῦτο γιγνόμενον; Πάνν γε, ἦν δ' ἐγώ.
Οὐκοῦν, ἢ δ' ὅς, αἰσχροὺς; καὶ δῆλον, ὅτι ἄνευ τέχνης
τῆς περὶ ἀνθρώπεια ὁ τοιοῦτος χρῆσθαι ἐπιχειρεῖ τοῖς
ἀνθρώποις; εἰ γάρ που μετὰ τέχνης ἐχρήτο, ὡσπερ ἔχει,
οὕτως ἂν ἠγήσατο, τοὺς μὲν χρηστοὺς καὶ πονηροὺς
90 σφόδρα ὀλίγους εἶναι ἑκατέρους, τοὺς δὲ μεταξὺ πλεί-
στους. Πῶς λέγεις; ἦν δ' ἐγώ. Ὡσπερ, ἢ δ' ὅς, περὶ
τῶν σφόδρα μικρῶν καὶ μεγάλων· οἷε τι σπανιώτερον
εἶναι ἢ σφόδρα μέγαν ἢ σφόδρα μικρὸν ἐξευρεῖν ἄν-
θρωπον ἢ κύνα ἢ ἄλλο ὅτιοῦν; ἢ αὐτὰρ ταχὺν ἢ βραδύν,
ἢ αἰσχροὺν ἢ καλόν, ἢ λευκὸν ἢ μέλανα; ἢ οὐχὶ ἤσθη-

E. οὕτω πως τοῦτο γ.] V. οὕτω τοῦτο γ. Par. E habet οὕτω τ. γ.,
quod dedit Bekker. Bodl. Tub. Vind. T Ven. Ξ et pr. Ven. Π σὺ τοῦτο γ., ut
scripsit Herm. Vat. Flor. d et rec. Ven. Π οὕτω πως γιγνόμενον τοῦτο
Flor. a b c m Par. C οὕτως πως τοῦτο γινν. Aug. ἢ οὐκ ἤσθησαι τοῦτο
γινν. Num scribendum: ἢ οὐκ ἤσθησαι σὺ οὕτω πως τοῦτο γ.?

τοῖς ἀνθρώποις;] ἀνθρωποκείους repugnante argumentatione Bodl.
Tub. Vind. T Par. G Zitt. et pr. Ven. Ξ II, quod habet Bas. 2.

ἂν ἠγήσατο] Sic Bodl. a pr. m. Tub. Vat. Ven. Ξ Vind. Ambr.
Flor. i et Stob. Vulgo legebatur ἠγήσαιο.

P. 90. ἦν δ' ἐγώ] Bodl. Ven. II T ἔφην ἐγώ, quod Turicens. et
Herm. receperunt.

ἢ αἰσχροὺν ἢ καλόν] Hunc ordinem tuentur Bodl. Ven. Ξ II Vind.
T Zitt. Vulgo legitur ἢ καλόν ἢ αἰσχροὺν. Dein pro οὐκ ἤσθησαι e Coisl.
Vat. Ven. A Ξ Par. ACEGHIL Ambr. August. Flor. a b c d i m scripsi
οὐχὶ ἤσθησαι.

E. Οὐκοῦν — αἰσχροὺς;] Int.
τοῦτό ἐστι. De iis, quae paullo
ante praecedunt, cf. Arist. Plut. 362
φεῦ, ὡς οὐδὲν ἀτεχνῶς ὑγιᾶς
ἐστὶν οὐδενός. Infra p. 90 C ὅτι
οὔτε τῶν πραγμάτων οὐδενός
οὐδὲν ὑγιᾶς οὐδὲ βέβαιον. Cratyl.
p. 440 C ὡς οὐδὲν ὑγιᾶς οὐδενός.

P. 90. τοὺς μὲν χρ. κ. πον.
σφόδρα] Pertinet σφόδρα ad
χρηστοὺς καὶ πονηροὺς, non ad
ὀλίγους neque assentior Heindor-
fio scribendum putanti τοὺς μὲν
χρ. κ. π. σφόδρα σφόδρα ὀλίγους
εἶναι. Nimirum ὀλίγους cum το-
νώσει pronuntiatum. Nec probo
Dobraeum Advers. T. I. p. 271
σφόδρα delendum indicantem ut-
pote ex sequentibus ortum. Recte

Apulei. De doct. Plat. II. p. 22
ed. Elm. sed apprime bonos et sine
mediocritate deterrimos paucos ad-
modum rariorisque, et, ut ipse ait,
numerabiles esse: eos autem, qui
nec plane optimi nec omnino deter-
rimi sint, sed quasi medie morati,
plures esse. Adverbium ita nomini
postpositum non rari usus est. v.
annot. ad Phileb. p. 26 A τὸ πολὺ
λίαν καὶ ἀπειρον. Sophist. p.
225 C κατὰ μικρὰ λίαν καὶ παν-
τοδαπά. Legg. III. p. 700 A ἔλευ-
θέρου λίαν. Criton. p. 45 B ἄλλοι
πολλοὶ πάνν. Euthyphr. p. 5 C
οὕτως ὀξέως ἀτεχνῶς, ubi com-
parare debebam Arist. Avv. 820
καλὸν γὰρ ἀτεχνῶς καὶ μέγ-
εῦρος τὸ νόμα. Menex. p. 235 A
γενναίως πάνν.

σαι, ὅτι πάντων τῶν τοιούτων τὰ μὲν ἄκρα τῶν ἐσχά-
των σπάνια καὶ ὀλίγα, τὰ δὲ μεταξὺ ἀφθονα καὶ πολλά;
Πάνν γε, ἦν δ' ἐγώ. Οὐκοῦν οἷε, ἔφη, εἰ πονηρίας
ἀγῶν προτεθείη, πάνν ἂν ὀλίγους καὶ ἐνταῦθα τοὺς B
πρώτους φανῆναι; Εἰκὸς γε, ἦν δ' ἐγώ. Εἰκὸς γάρ,
ἔφη· ἀλλὰ ταύτη μὲν οὐχ ὅμοιοι οἱ λόγοι τοῖς ἀνθρώ-
ποις εἰσίν, ἀλλὰ σοῦ νῦν δὴ προάγοντος ἐγὼ ἐφροσπό-
μην, ἀλλ' ἐκεῖνη, ἢ, ἐπειδὴν τις πιστεύσῃ λόγῳ τινὶ
ἀληθεῖ εἶναι ἄνευ τῆς περὶ τοὺς λόγους τέχνης, κάπειτα
ὀλίγον ὕστερον αὐτῷ δόξῃ ψευδῆς εἶναι, ἐνίοτε μὲν ὦν,
ἐνίοτε δ' οὐκ ὦν, καὶ αὐθις ἕτερος καὶ ἕτερος — καὶ
μάλιστα δὴ οἱ περὶ τοὺς ἀντιλογικοὺς λόγους διατρέ-
ψαντες οἶσθ' ὅτι τελευτῶντες οἴονται σοφώτατοι γεγο- C

B. Εἰκὸς γε] δέ Bodl. Vat. Ven. II Tub. Ven. T Par. CGHL.
εἰσίν] εἰσίν om. Bodl. Tub. Zitt. et a pr. m. Ven. Ξ II. Recte fortasse;
et abiicit εἰσίν Herm.

ἐφροσπόμην] V. ἐφροσποίμην. Par. H Flor. d et corr. Vat. ἐφει-
πόμην. Multi ἐφροσποίμην. In Coisl. Par. A C Flor. a c m marg. Bodl. et
corr. Ven. II est ἐφροσποίμην. Tub. cum aliis ἐφροσποίμην, quod recep-
tam lectionem confirmat.

δόξῃ] Tub. δόξει, quod placebat Heindorfio.

ἀντιλογικοὺς] V. αἰτιολόγους errore; in aliquot codd. scriptum
αἰτιολογικούς.

C. γεγυονέναι τε καί] Interpositam post γεγυονέναι particulam τε

τὰ μὲν ἄκρα τῶν ἐσχάτων]
die Extreme.

B. Εἰκὸς γάρ, ἔφη· ἀλλὰ
ταύτη μὲν κ. τ. λ.] Sed non in
eo οἱ λόγοι hominibus simi-
les sunt, quod illorum per-
pauci extremitates attin-
gant, plurimi mediam tene-
ant rationem et viam; nam ad
hanc rem eo, quod a te inter-
rogabar πῶς λέγεις (p. 90 A),
delatus sum; sed eatenus
cum illis habent aliquid si-
militudinis, quod qui iis te-
mere credunt, eos facile μισο-
λόγους reddunt, ita ut omnino
de cognoscendae veritatis
facultate desperent. De repe-
tito ἀλλά v. ad Euthyphr. Lps. 1823
p. 15 sq.

σοῦ προάγοντος] te du-
cente sc. interrogatione illa πῶς
λέγεις.

PLAT. PHAED.

ἀλλ' ἐκεῖνη] se. ὅμοιοι εἰσι.
Post ἢ desideratur verbum finitum.
Quod ne deesset, Heindorfius ex
cod. Tub. δόξει recepit, quo facto
κάπειτα positum est pro ἐπειτα
usu haud infrequenti. v. Heindorf.
ad h. l. et Schaefer. Melett. p. 86.
Sed cave quidquam mutaveris. Lo-
cum enim apertum est esse ἀνακό-
λουθον. Quippe post ἢ inferri pro-
prie debuit: οἱ περὶ τοὺς ἀντιλο-
γικοὺς λόγους διατρέψαντες τε-
λευτῶντες οἴονται σοφώτατοι γε-
γυονέναι κ. τ. λ. Sed hoc ipsum pro-
pter longiorem orationis intercape-
dinem aliter enuntiatum. Ad δόξῃ
ψευδῆς εἶναι intell. αὐτός. οὗτος.
οἱ περὶ τοὺς ἀντιλογι-
κοὺς λ. δ.] Qui rationi de
omnibus in utramque partem
disputandi operam navant.
Infra p. 101 E ἅμα δὲ οὐκ ἂν φύ-
σεια ὡσπερ οἱ ἀντιλογοί, ubi v.
anh.

νέναι τε καὶ κατανενοημένοι, ὅτι οὔτε τῶν πραγμάτων οὐδενὸς οὐδὲν ὑγιᾶς οὐδὲ βέβαιον οὔτε τῶν λόγων, ἀλλὰ πάντα τὰ ὄντα, ἀτεχνῶς ὥσπερ ἐν Εὐρύπῳ, ἄνω καὶ κάτω στρέφεται καὶ χρόνον οὐδένα ἐν οὐδενὶ μένει. Πάνυ μὲν οὖν, ἔφη ἐγώ, ἀληθῆ λέγεις. Οὐκοῦν, ὦ Φαίδων, ἔφη, οἰκτρὸν ἂν εἴη τὸ πάθος, εἰ ὄντος δὴ τινος ἀληθοῦς καὶ βεβαίου λόγου καὶ δυνατοῦ κατανοῆσαι, ἔπειτα διὰ τὸ παραγίγνεσθαι τοιοῦτοις τισὶ λόγοις τοῖς αὐτοῖς τοτὲ μὲν δοκοῦσιν ἀληθέσιν εἶναι,

omittunt Coisl. Vat. Aug. Ven. A Vind. Φ Par. CEGHIL Ambr. Flor. a b c d i m Zitt. Abiecit etiam Bekkerus. Sed cum Bodl. Tub. Ven. ΞII eam tueantur et ex iis defensionem paratam habeat, quae ad Phaedr. p. 242 B de hoc usu vocularum τε καὶ observavimus, procul dubio retinenda est.

ἄνω καὶ κάτω] καὶ om. Vat. Ven. A Flor. a b c i m Par. CEHI Ambr. et pr. Coisl. Par. G. Utrumque Platoni frequens, et ἄνω κάτω et ἄνω καὶ κάτω. v. ad Phaedr. p. 278 D.

ὄντος δὴ] Coisl. Vat. Aug. Flor. d alii non pauci pro δὴ habent γε.

ἔπειτα διὰ] Stephanus eumque secuti editores post ἔπειτα inseruerunt verba τούτου ἐκπεσῶν ἀπορῆ, quae neque in codd. mss. reperta sunt neque sententiae bene congruunt.

C. ὥσπερ ἐν Εὐρύπῳ] Erat Euripus fretum inter Boeotiam et Euboeam, cuius undae septies die et nocte reciprocare dicebantur. Vocabulum ἀτεχνῶς locutionibus proverbialibus additum exemplis illustravimus ad Ion. p. 534 E.

ἄνω καὶ κάτω στρέφεται] h. e. omnia esse incerta nec praebere ullam scientiae firmitatem et constantiam. Male igitur de Heracliti placito cogitantur, qui omnia perpetua dixit agitatione ferri. Formulam ἄνω καὶ κάτω στρέφεται, sursum deorsum ferri, praeter alios illustravit Wesseling. ad Herod. p. 195. III. 3.

δυνατοῦ κατανοῆσαι] Fecerunt qui in talibus activum pro passivo positum dicerent. Iniuria. Nam sententia haec est: et quem quis possit cognoscere et intellegere. Sic infra p. 92 D ὑπόθεσις ἀξία ἀποδέξασθαι, digna, quam quis accipiat. v. Zenn.

ad Viger. p. 187. Dorvill. ad Chariton. p. 469 et 526 ed. Lips. Brunck. ad Soph. Phil. 1167. Matthiae §. 535 b. Ann. Buttmann. §. 140. 2. De ἔπειτα post participium illato v. ad p. 70 E.

D. ἔπειτα διὰ τὸ παραγ. τ.] Nonne miserandum fuerit, si quis, etiamsi sit vera quaedam et certa ratio, tamen, quia in eiusmodi rationes inciderit, quae alias verae videntur, alias falsae, non ipsum se nec suam inertiam accuset, sed tandem propter molestiam (διὰ τὸ ἀλγεῖν) et prae indignatione culpam a se in rationes studiose amoliat ac transferat etc. Perperam igitur Stephanus post ἔπειτα addidit verba τούτου ἐκπεσῶν ἀπορῆ, qui pannus ut firmius tenaciusque assueretur, e Mudgii coniectura Fischerus ante μὴ ἐαυτὸν τις αἰτιῶτο addidit καὶ illo ἀπορῆ insuper in ἀπορῆ commutato.

τοτὲ δὲ μὴ, μὴ ἐαυτὸν τις αἰτιῶτο, μηδὲ τὴν ἐαυτοῦ ἀτεχνίαν, ἀλλὰ τελευτῶν διὰ τὸ ἀλγεῖν ἄσμενος ἐπὶ τοὺς λόγους ἀφ' ἐαυτοῦ τὴν αἰτίαν ἀπώσαιο, καὶ ἤδη τὸν λοιπὸν βίον μισῶν τε καὶ λαιδορῶν τοὺς λόγους διατελοῖ, τῶν δὲ ὄντων τῆς ἀληθείας τε καὶ ἐπιστήμης στερηθεῖ; Νῆ τὸν Δία, ἦν δ' ἐγώ, οἰκτρὸν δῆτα.

Cap. XL. Πρῶτον μὲν τοίνυν, ἔφη, τοῦτο εὐλαβηθῶμεν, καὶ μὴ παρίωμεν εἰς τὴν ψυχὴν, ὡς τῶν λόγων ἐκινδυνεύει οὐδὲν ὑγιᾶς εἶναι, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον, ὅτι ἡμεῖς οὐπω ὑγιᾶς ἔχομεν, ἀλλ' ἀνδριστέον καὶ προθυμητέον ὑγιᾶς ἔχειν, σοὶ μὲν [οὖν] καὶ τοῖς ἄλλοις καὶ τοῦ ἔπειτα βίου παντὸς ἕνεκα, ἐμοὶ δὲ αὐτοῦ ἕνεκα τοῦ θανάτου· ὡς κινδυνεύω ἐγώ γε ἐν τῷ παρόντι περὶ αὐτοῦ τούτου οὐ φιλοσόφως ἔχειν, ἀλλ' ὥσπερ οἱ πάνυ ἀπαίδευτοι, φιλονείκως. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ὅταν περὶ τοῦ ἀμφισβητήσωσιν, ὅπῃ μὲν ἔχει περὶ ὧν ἂν ὁ λόγος ἢ οὐ φροντίζουσιν, ὅπως δὲ ἂ αὐτοῖ, ἔθεντο ταῦτα δόξει τοῖς παροῦσι, τοῦτο προθυμοῦνται. καὶ ἐγώ μοι δοκῶ ἐν τῷ παρόντι τοσοῦτον μόνον ἐκείνων διοίσειν· οὐ

D. μὴ ἐαυτὸν τις] Fischerus de Mudgii coniectura scripsit καὶ μὴ ἐαυτὸν τις, quo non opus est. Paulo ante τοιοῦτοις τισὶ λόγοις praebuit Par. G, unde revocavit Bekker. Vulgo legebatur τοιοντοῖσι λόγοις, quod tenet etiam Tur.

τοὺς λόγους διατελοῖ] Verba τοὺς λόγους om. Bodl. Tub. Ven. II pr. m. Uncis ea sepsit Herm.

οἰκτρὸν δῆτα] ὡς οἰκτρὸν δ. Ven. Ξ Vind. T et supra versum Bodl. cum Steph. Dein Vind. Φ Par. G Ambr. et marg. Bodl. εὐλαβητέον.

Cap. XL. μὴ παρίωμεν] Sic codd. optimi et plurimi. V. παρίωμεν. De hac accentus discrepantia v. Buttmann. Gramm. ampl. T. I. p. 538 ann. 35 ed. I. coll. p. 543 = p. 522 ed. II. et Matthiae Gr. §. 210 ann. 2.

E. σοὶ μὲν οὖν] οὖν utpote de vitio suspectum seclusimus.

P. 91. ἀμφισβητήσωσιν] ἀμφισβητήσωσιν Coisl. Vat. Ven. A Vind. Φ Par. A CEGHI Flor. a b c d i m Aug. Antiquum ἀμφισβητήσωσιν servat etiam Tur. et Herm.

ταῦτα δόξει] V. δόξη, quod e Bodl. Coisl. Ven. A Ξ Vind. T Φ Par. CHI Ambr. Flor. a b c d i m et pr. Ven. II Par. G praeunte Bekkerō mutavimus.

Cap. XL. ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον] Int. ἐννοῶμεν, quod per zeugma intellegendum relinquatur.

ἀνδριστέον] naviter id agendum esse, ut etc. Paulo ante παρίεναι εἰς τὴν ψυχὴν est Lat. inducere in animum.

P. 91. περὶ αὐτοῦ τούτου] Sc. animum esse immortalem. neque morte interire.

ὅπως δὲ — ταῦτα δόξει] vid. Matth. Gr. §. 623. Rost. §. 122. 11. Buttman. §. 139 E.

γὰρ ὅπως τοῖς παροῦσιν ἃ ἐγὼ λέγω δόξῃ ἀληθῆ εἶναι προθυμηθήσομαι, εἰ μὴ εἴη πάρεργον, ἀλλ' ὅπως αὐτῶν ἐμοὶ ὅ τι μάλιστα δόξῃ οὕτως ἔχειν. λογίζομαι γὰρ, ὡς φίλε ἑταῖρε — θέασαι ὡς πλεονετικῶς — εἰ μὲν τυγχάνει ἀληθῆ ὄντα ἃ λέγω, καλῶς δὴ ἔχει τὸ πεισθῆναι.

δόξῃ ἀληθῆ] Hic coniunctivum tuentur Bodl. Vat. Ven. AII Vind. Φ Par. EGHIL Aug. Flor. c i. Legebatur δόξει, quod tenuit Bekker. Etiam paullo post δόξῃ pro vulg. δόξει e Vat. Ven. AII Vind. Φ Par. EGL Tubing. et marg. Bodl. revocavi. De illis Socrates universe loquitur narratque quid fieri soleat, unde utitur tempore futuro, de semet ipso ita dicit, ut rei eventum tamquam incertum ac dubium describat. Turicens. et Herm. ubique δόξει.

προθυμηθήσομαι] Sic pro v. προθυμήσομαι Bodl. Ven. II Tub. et corr. Par. G. Utrumque probum. v. Schneider. ad Remp. V. p. 470 A. conf. infra p. 115 C.

B. θέασαι ὡς] Vulgo καὶ θ. ὡς. Sed καὶ om. Coisl. Vat. Tub. Ven. A Vind. Φ Par. EGHIL Ambr. Aug. Flor. b i et pr. Bodl. Ven. II. Nimirum καὶ a criticis additum.

εἰ μὲν τυγχάνει] εἰ μὲν γὰρ τ. Vat. Vind. Φ Par. G Ambr. Flor. d et supra versum Bodl. Sed γὰρ a criticis invectum puto. v. ann. Dein vulgo legebatur ἃ ἐγὼ λέγω invitis multis iisque optimis codicibus etiam Tubing. Nec tamen e Bodl. Ven. II aliquid discrepantiae notatum, unde servavit Herm.

εἰ μὴ εἴη πάρεργον] nisi id quasi obiter fiat. Hoc dicit Socrates: se illud agere, ut potius ipse sibi persuadeat immortalem esse animum, quam ut alii idem statuant; sed fieri posse, ut eadem argumenta etiam alios moveant. Quod εἰ μὴ εἰ εἴη πάρεργον desiderat C. F. Hermannus, ut in codd. quibusdam De Rep. III. p. 411 E perscriptum legitur, in eonos viro doctissimo fatemur neutiquam assentiri. Nam differunt εἰ μὴ, nisi, et εἰ μὴ εἰ, nisi si, inter se non nihil eo, quod εἰ μὴ εἰ et nisi si condicionem aliquanto fortius et gravius, quam alterum illud, exprimit. De quo v. Herzog. ad Caes. B. Gall. I. 31. Id vero hic cur adeo necessarium putemus, ut vel invitis codd. εἰ inferendum censeamus, nullo modo intellego. Pro αὐτῶ ἐμοὶ Heindorfio iudice αὐτῶ μοι per usum loquendi requiritur. Sed v. Symp. p. 220 E συνδέσασσε καὶ τὰ ὅπλα καὶ αὐτὸν ἐμέ. Euthyd. p. 273 B ὁ δὲ παρ' αὐτὸν ἐμέ. Epist. VII. p. 329 D

φιλοφρόνως πάντας ἀνελάμβανε, καὶ δὴ καὶ αὐτὸν ἐμὲ παρεμυθεῖτο. Nimirum quemadmodum ἐμὲ αὐτὸν dicitur, sicubi in αὐτὸν cadit maior quaedam vis atque gravitas, ita mutato ordine αὐτὸν ἐμὲ in usu fuit, ubi ἐμὲ aliquantum ponderis haberet. Ceterum etiam alios scriptores ita locutos esse discas ab Lehrsis Quaest. Epic. p. 113, qui veterum Grammaticorum attulit testimonia.

B. λογίζομαι γὰρ —] Ficinus: sic enim cogito, dulcis amice, quasi legerit λογίζομαι γὰρ ὡς, quod tamen in nullo cod. repertum est.

θέασαι ὡς πλεονετικῶς] vide quanto cum commodo meo. Ante εἰ μὲν τυγχάνει Heusdius ὡς addi iubebat. Sine causa. Gorg. p. 464 B θνοῖν ὄντων τοῖν πραγμάτων δύο λέγω τέχνας: τὴν μὲν (sic enim codd. optimi pro καὶ τὴν μὲν) ἐπὶ τῇ ψυχῇ πολιτικὴν καλῶ. Legg. VII. p. 791 A, ubi v. varr. lectt., XII. p. 957 A. Plura dedi ad Phileb. p. 12 E.

εἰ δὲ μηδὲν ἐστὶ τελευτήσαντι, ἀλλ' οὖν τοῦτόν γε τὸν χρόνον αὐτὸν τὸν πρὸ τοῦ θανάτου ἦττον τοῖς παροῦσιν ἀηδῆς ἔσομαι ὀδυρόμενος. ἢ δὲ ἄγνοιά μοι αὕτη οὐ ξυνδιατελεῖ, κακὸν γὰρ ἂν ἦν, ἀλλ' ὀλίγον ὕστερον ἀπολείται. παρεσκευασμένος δὴ, ἔφη, ὦ Σιμμία τε καὶ Κέβης, οὕτως ἐρχομαι ἐπὶ τὸν λόγον. ὑμεῖς μέντοι, ἂν ἐμοὶ πείθησθε, σμικρὸν φροντίσαντες Σωκράτους, τῆς δὲ ἀληθείας πολὺ μᾶλλον, εἰ μὲν τι ὑμῖν δοκῶ ἀληθὲς λέγειν, ξυνομολογήσατε· εἰ δὲ μὴ, παντὶ λόγῳ ἀντιτείνετε, εὐλαβούμενοι, ὅπως μὴ ἐγὼ ὑπὸ προθυμίας ἅμα ἑαυτὸν τε καὶ ὑμᾶς ἐξαπατήσας ὡσπερ μέλιττα τὸ κέντρον ἐγκαταλιπὼν οἰχῆσομαι.

Cap. XLI. Ἄλλ' ἴτεον, ἔφη. πρῶτόν με ὑπομνή-

ἢ δὲ ἄγν.] Vat. Ven. T et rec. Ven. II cum Bodl. ἢ δὲ διάνοια, unde Herm. exsculpsit: ἢ δὲ δὴ ἄγνοια.

παρεσκευασμένος δὴ] μὲν vulgo ante δὴ positum om. Vat. Tub. Vind. Φ Ambr. et pr. Bodl. Ven. II.

C. ἀληθὲς λέγειν] Sic optimi omnes. Vett. editt. λέγειν ἀληθῆς. Mox εὐλαβούμενοι om. pr. Bodl. Ven. II.

ἅμα ἑαυτὸν τε] Bekker. e Ven. T corr. dedit ἑμαυτόν. Non probō. v. quae de hoc pronomini usu commentatus sum ad Alcib. II. p. 143 C coll. infra p. 101 D in supra p. 78 B. Fallitur Bernhardy Synt. p. 272 hunc usum pronomini reflexivi plurali numero concedens, singulari eripiens. [Cf. Sommer, Allg. Schulz. 1833. p. 717.]

Cap. XLI. πρῶτόν με] Coisl. Ven. II Tub. Par. II quantum suspicor omnes πρῶτον μὲν. Errare enim videtur Bekker. in Ven. II quoque πρῶτον μὲν με legi narrans, quod idem de Coisl. et Parr. refert. Nam Bastius quidem e Ven. protulit, quod ex Tub. quoque notatum est, πρῶτον μὲν omisso με.

εἰ δὲ μηδὲν ἐστὶ τελευτήσαντι] sin post mortem sensus omnis atque ipse animus exstinguitur. De ἀλλ' οὖν et ἀλλά — γε in apodosi frequentato dictum ad Protag. p. 353 A. — Mox verbum ξυνδιατελεῖν manendi significatu simpliciter positum est et sine participio, quod fuerunt qui perperam iudicarent intellegendum esse. v. Hindenburg. ad Xen. Mem. I. 6, 2.

C. εὐλαβούμενοι, ὅπως μὴ — οἰχῆσομαι] De constructione v. praeter alios Rost. §. 122. II. annot. 8.

ὡσπερ μέλιττα τὸ κ.] Eupolis de Pericle: οὕτως ἐνήλει καὶ μόνος τῶν ἡτόρων τὸ κέν-

τρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροαμένοις ap. Diod. Sic. XII. 40, ubi v. Wesseling. coll. Wyttenb. ad Plut. De s. n. v. p. 8 sq. Lucian. Nigrin. p. 24 καὶ γὰρ τοι, κατὰ τὸν κομικόν, ὡς ἀληθῶς ἐγκατέλειπε τι κέντρον τοῖς ἀκούουσιν. Cic. De orat. III. 34 tantamque in eo (Pericle) vim fuisse (dixerunt), ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret. Cic. Brut. c. 9 extr. Plin. Ep. I. 20, 18.

Cap. XLI. Ἄλλ' ἴτεον] Sed accedendum est ad ipsam disputationem. Dixerat enim antea: οὔτως ἐρχομαι ἐπὶ τὸν λόγον, quod postremum nunc sponte intellegitur. Sic p. 78 C

σατε ἃ ἐλέγετε, εἴ μὴ φαίνωμαι μεμνημένος. Σιμίας
 D ψυχὴ ὅμως καὶ θειότερον καὶ κάλλιον ὄν τοῦ σώματος
 προαπολλύηται ἐν ἀρμονίας εἶδει οὐσα. Κέβης δέ μοι
 ἔδοξε τοῦτο μὲν ἐμοὶ ξυγχωρεῖν, πολυχρονιατέρον γε
 εἶναι ψυχὴν σώματος, ἀλλὰ τόδε ἄδηλον παντί, μὴ πολλὰ
 δὴ σώματα καὶ πολλάκις κατατρέψασα ἢ ψυχὴ τὸ τελευ-
 ταίου σώμα καταλιπούσα νῦν αὐτὴ ἀπολλύηται, καὶ ἢ
 αὐτὸ τοῦτο θάνατος, ψυχῆς ὄλεθρος, ἐπεὶ σῶμά γ' αἰεὶ
 ἀπολλύμενον οὐδὲν παύεται. ἄρα ἄλλ' ἢ ταῦτ' ἐστίν,
 ὃ Σιμίας τε καὶ Κέβης, ἃ δεῖ ἡμᾶς ἐπισκοπεῖσθαι; Ξυν-
 E ωμολογείτην δὴ ταῦτ' εἶναι ἄμφω. Πότερον οὖν, ἔφη,
 πάντας τοὺς ἐμπροσθεν λόγους οὐκ ἀποδέχεσθε, ἢ τοὺς
 μὲν, τοὺς δ' οὐ; Τοὺς μὲν, ἐφάτην, τοὺς δ' οὐ. Τί
 οὖν, ἢ δ' ὅς, περὶ ἐκείνου τοῦ λόγου λέγετε, ἐν ᾧ ἔφα-
 μεν τὴν μάθησιν ἀνάμνησιν εἶναι, καὶ, τοῦτου οὕτως
 ἔχοντος, ἀναγκαίως ἔχειν ἄλλοθὶ που πρότερον ἡμῶν
 92 εἶναι τὴν ψυχὴν, πρὶν ἐν τῷ σώματι ἐνδεθῆναι; Ἐγὼ
 μὲν, ἔφη ὁ Κέβης, καὶ τότε θαυμαστῶς ὡς ἐπέισθην
 ὑπ' αὐτοῦ καὶ νῦν ἐμμένω ὡς οὐδενὶ λόγῳ. Καὶ μὲν,
 ἔφη ὁ Σιμίας, καὶ αὐτὸς οὕτως ἔχω, καὶ πάνυ ἂν θαυ-

E. ἄλλοθὶ που] που om. Coisl. Vat. Ven. II Tub. Par. EGHIL.
 In Bodl. supra versum adscriptum est.

P. 92. ἐμμένω] ἐμμενῶ Ven. II male.

ζωμεν δὴ — ἐφ' ἅπερ ἐν τῷ ἐμ-
 προςθεν λόγῳ. Formulam illustra-
 vit Wytttenbach. Bibl. Crit. P. I.
 p. 50. XII. p. 12. Deinde notabis
 asyndeton, quod Heindorfium
 iam vehementer offendit, ut πρῶ-
 τον μὲν τε ὑπ. scribi voluerit. Ni-
 mirum πρῶτον est ante omnia
 nec opus est ullo coniunctionis vin-
 culo in hoc disputationis principio.
 Eodem modo Apolog. p. 38 D. Pro-
 tag. p. 338 C. De Rep. III. p. 412 C.
 ὅμως — κάλλιον ὄν] De
 ὅμως sic participio suo praemitti
 solito dictum ad Lys. p. 213 A. De
 Rep. VI. p. 495 D. Theaet. p. 145 D.
 Xen. Mem. I. 2, 20 ibique Schnei-
